



# Vita clarissimi philosophi et medici excellentissimi Conradi Gesneri Tigurini

<https://hdl.handle.net/1874/437173>

3

VITA  
CLARISSIMI PHI  
LOSOPHI ET MEDICI EX  
CELLENTISSIMI CONRADI GES  
NERI Tigurini, conscripta à IOSIA  
SIMLERO Tigurino.

ITEM, Epistola Gesneri de libris à se editis. Et Car  
mina complura in obitum eius conscripta.

HIS ACCESSIT

CASPARI VVOLPHII Tigurini Me  
dici & Philosophi HYPOSCHESIS, sive, de  
CON. GESNERI Stirpium historia ad IOAN.  
CRATONEM S. CAB. Maiest. medicum ex  
cellentis. pollicitatio.



TIGYRI excudebat Froshouerus, 1566.



ORNATISSIMIS VI  
RIS, PRAESTANTIBVS ME-  
DICIS, D. GEORGIO CELLARIO ET D. GA-  
SPARO VVOLPHIO urbis Tigurinæ archiatris,  
& Physices in schola eiusdē professoribus, IOSIAS  
SIMLER vs gratiam & pacem à Deo patre  
per Iesum Christum Dominum no-  
strum precatur.

ATURA hoc nobis datum esse arbitror,  
uiri ornatissimi, ut cum scripta & labores  
uidemus, quos memoria digni uiri poste-  
ritati reliquerūt, eos ipsos corām uidere,  
& qui nam ac quales fuerint, cognoscere cupiamus.  
Cui desiderio multi ut satisfaciant, praestantium ui-  
rorum icones depingi curant, quæ quām proximè u-  
niusciusq; uultum referant. Verum cum ingenti-  
um animorum uirtutes intueri præstet, quām uel opti-  
mè ad uiuum expressas effigies, inani quanquam iu-  
cunda oculis uoluptate spectasse, rectius illi mihi fa-  
cere uidentur, qui uitam eorum, dicta, facta, studiaq;  
precipua, literis commendant. Itaq; cum existimarem  
multos cupidos esse cognoscendi uitam Gesneri no-  
stri, cuius magnum est nomen inter omnes eruditos,  
uoluenteris mandare & in publicum edere, quæ de il-  
lius uita memoratu digna cognoscere potui. Existi-  
maui autem me debere hoc officium homini amicis-  
simo, quem, dum uixit, plurimum amauit & colui, &  
me uicissim ab eo amari expertus sum; et si enim non  
dubitatem apud omnes doctos claram & sempiternam  
nominis memoriam ipsum habiturum, propter exi-  
mias & singulares uirtutes, & admirandam eruditio-

P R A E F A T I O.

nem; tamen grati & memoris animi esse arbitratus sum, hac ratione testificari amorem & uoluntatem erga uirum optimum & mihi amicissimum. Deinde statui me hac ratione etiam publice de studijs adolescentium posse bene mereri. Et enim si recte loquitur durus ille senex in Comœdia:

*Inspicere tanquam in speculum uitas omnium.  
Iubeo, atq; ex alijs sumere exemplum sibi,  
Hoc facito, Hoc fugito,  
Hoc laudi es, Hoc uirio datur.*

Rectissime illi faciunt, qui uitas præclarorum virorum tanquam speculum iuuentuti proponunt, unde præclara exempla ad imitandum depromere possint: quando ubique occurrit de quo dicere possit, Hoc facito, Hoc laudi est. Præclare quidem de omnigenere officiorum scripsierunt philosophi, & multo de eisdem exactius præcipiunt theologi, sed ea quaerili uerbis subtiliter disputant, obscuriora plerūq; sunt, uita autem & factis summorum uirorum illustrantur. Quare cum Gesneri nostri uita, pietate, humanitate, & omni uirtutu officiorumq; genere plena fuit, non dubito hanc qualemcunq; eius descriptio nem multis gratam & utilem fore. Vobis autem ornatissimi uiri, huc meum labore multe nominibus inscribere uolui: primum enim non dubito meam hanc uoluntatem erga Gesnerum nostrum uobis probari, quando uos, qui ad hoc munus meipso longè eratis aptiores, hoc tempore maximis & grauissimis negotiis impediti, id præstare non potuistis. Deinde cù uos Gesnero semper coniunctissimi fueritis, eumq; ut patrem colueritis, & ille uos filiorum loco habuerit, ac præterea in eius locum amplissimi senatus decreto successeritis, nemini iustius quam uobis uita eius inscribi

scribi debuit. Fuit adhæc omnis eius uita uobis notis= sima, studia ipsius omnia perspexistis, itaque facile a= gnoscetis quo animi candore, quo ué studio & pudo= te afferendæ ueritatis, de illo scripserim, & syncerè te stimonium dare potestis, me nihil hic amori tribuisse, nullas falsas laudes illi affinxisse. Tuq; presertim orna tissime Vuolphi, qui nūc omnem illius bibliothecam possides, optimè testari potes, quanta fuerit uirtute, doctrina & diligētia præditus Gesnerus noster, quan do tibi quotidie libros & scripta eius euoluenti, innu mera harum rerum uestigia occurrunt. Non dubito etiam multa uos nosse, quæ me præterierunt memora tu digna, multa etiam in chartis eius inuenturos, quæ uitæ eius narrationem pleniorē possint efficere, quæ omnia ut aliquando cum eius inchoatis operibus in publicum edatis, rogo atq; hortor: meam enim hanc ieunam narrationem uitæ illius, libēs perire uideam, dummodò alia plenior & elegantior, uel à uobis, uel à quouis alio edatur. Interim uiri ornatissimi, meam hanc testificationem amoris erga uos mei, grato ani= mo accipite, meq; quod facitis, amare pergite.

Valete: Tiguri v i i. Calendas Mar\*

tij, anno 1566.



D. CONRADI GES.<sup>4</sup>  
NERI PHILOSOPHI  
ET MEDICI CLAS-  
RISSIMI VITA.

**G**ONRADVS GESNERVS NATVS  
est Tiguri, loco celebri & urbe totius Heluetiae  
primaria: annus tum erat supra millefimum quin  
gentesimum decimus sextus. Pater ei fuit Virsus  
Gesnerus, Pellio, mater Barbara Friccia, parvus ambo opibus,  
sed integra & honesta fama, qui liberos complures assiduo suo la-  
bore aluere & educauere. Ab his puer admodum, pro more pa-  
tria, scholam frequentare iussus, prima rudimenta litterarum, &  
vtriusq; lingua grammaticen didicit, Thoma Plattnero, Theo Praeceptores,  
doro Bibliandro, Osualdo Myconio & Petro Dasypodio, viris  
clarissimis, praceptoribus: qui tum quidē scholæ nostræ præfuererent,  
postea vero propter singulares virtutes & excellentem eruditio-  
nem, cum apud nos, tu alibi maiores honores adepti sunt. Nam  
Bibliader apud nos multis annis, singulari eruditiorne et diligen-  
tia, sacras literas interpretatus est. Myconius vero Basiliensi  
ecclesiæ postea cum laude præfuit, & eiusdem ciuitatis scholam  
Platnerus nunc quoq; magna fide ac eruditione moderatur: Da-  
sypodius vero in celeberrima schola Argentinensi aliquadiu ma-  
gna cum laude Græcas litteras docuit. Apparebat in Gesnero  
adhuc puero præclaraindoles, & in tenera adhuc etate ingenij  
vis & præstantia elucebat: verum cum pater, qui plures liberos,  
opes nullas habebat, illum studijs dicare non posset, delectatus  
præclara eius indole Ioannes Iacobus Ammianus, latinae lingue  
& oratorie artis in schola nostra professor, eum ad se recepit do-  
num suā, & tribus annis liberaliter fouit, & familiariter insti-  
tuit. Eo tempore audiuit ipsum Ammianum & Rodolphum Col-  
linum Græcae linguae doctorem, qui tum Quintiliani oratorias in-

Gesneri patria  
& parentes.

CON. GESNERI PHILOSOPHI

stitutiones & Plutarchi vitas interpretabatur, & se in diale-  
cticis & oratorijs præceptis, & in Græca linguae studio, quo plu-  
rimum afficiebatur, diligenter exercuit. Secutum est paulo post  
ciuale Helvetiorum bellum, ac altero prælio, quod non longe à  
Tugio, in monte vicino commissum fuit, pater illius cæsus est,  
cum ipse quindecim tantum annos natus esset.

Pater eius pro  
patria pugnâs  
occubuit.

Morbo aque  
intercutis la-  
borauit.

Inseruit Ca-  
pitoni.

Publico stipen-  
dio in Galliam  
mittitur.

Pædagogum  
egit Biturgi-  
bus.

Studiorum im-  
pedimenta.

Mortem patris exceptit morbus grauiſſimus aquæ intercu-  
tis, quo aliquandiu afflictus fuit: sanitate antem vix recupera-  
ta, cum mater vidua, quæ præter ipsum plures liberos habebat,  
sumptus studiorum suppeditare illi nō posset, patria præterea bel-  
lo nuper afflita, desperaret domi se mæcenatē adipisci posse. Ar-  
gentoratum descendit, & ibi aliquot mensibus optimo ſælicis me-  
moria viro D. Wolfgango Fabricio Capitonii inseruit, apud  
quem in Hebræa lingua, cuius rudimenta domi hauerat, medio  
criter profecit. Inde in patriam reuersus, publico stipendio auchu-  
eſſe, & in Galliam missus vnâ cum Ioanne Frijſo, quem primum  
studiorum societate ſibi coniunctum, poſtea ſemper fratri loco ha-  
buit. Biturigas ergo profectus, per annum pædagogum illic agi-  
quo tempore alios docēdo, multum etiam ipſe profecit: nullum e-  
nim vacuum tempus ſibi elabi patiebatur, quo non Latini &  
Græci authoribus legendis aſtrictus eſſet. Cum annum ita tri-  
uiſſet Biturigibus, mox ſe Lutetiam Pariforum conculit, urbis  
illius & academiae celebritate commotus, quo in loco, eſſi magna  
doctiſſimorum hominum, qui publicè bonas literas docebant, co-  
pia erat, & illi in audiendis his diligentia & aſſiduitas non de-  
rat, tamen ipſe, ſicut apud amicos ſæpe poſtea conquerebatur, &  
ſcriptum etiam reliquit, tantos quantos oportebat in studijs fu-  
ctus illic non percepit, propterea quod adoleſcens adhuc inopia  
quadam confiliij, nullum certum genus studiorum ſequeretur. Cā  
ptus enim studiorum amēnitate, magna quadam vi ingenij per  
omnia authorum genera peruolit abat, Græcos, Latinos, poetas,  
oratores, historicos, medicos, philologos, forte quod iuuenili auda-  
cia, omnia ſimil animo complecti ſe poſſe credebat: tum etiam ut  
yiciſſi-

Vicissitudine varietateq; lectionis animū demulceret: quare etiā  
neesse erat in tanta varietate, multa ipsum transfilire, et paucos  
admodū libros integros perlegere. Fuit hoc, præter inopia, aliud  
impedimentum solidam eruditioñis, incerta studiorum fluctuatio  
& scopi ignorantia, in quo tamen ingenij simul vis quedam diui-  
na & naturæ bonitas apparet, quod ex tot impedimentis elucta-  
tus, solidam & præclaram eruditioñem adeptus est, nihilomi-  
nus quam illi quibus omnia à pueris ex voto obuenere. Est hoc  
quodq; ingenii animi præclarū exemplum, quod ipsum non puduit  
inueniles errores, cum apud amicos, tum etiā in publicis scriptis  
agnoscere et fateri, ac suo exemplo adolescentes monere, quomodo  
rectius studia sua instituere debeant.

Ex Gallia deinde Argentoratum rediit, quod illic haberet  
amicos viros bonos & homines doctos, quorum ope sperabat se in  
tanta frequentia studiosorum posse locum aliquem nancisci publi-  
cè aut priuatum docendi, verum à Senatu scholastico in patriam  
reuoçatus paruit, & paulò post, nescio quo consilio, uxorem in- Vxor ducit.

Itaq; tum in scholam detrusus, pueros rudimenta Gramma- Docet gram-  
maticam.  
tices aliquandiu docuit: interim domi, quoties illi à schola otium  
erat, medicorum libris operam dabant. Etenim natura ad medici-  
næ studium quasi rapiebatur: scimus autem in singulis penè arti- Animi propen-  
sio ad medice-  
ri studium.  
bus excellentes artifices nasci oportere, & ingenia tum maximè  
valere, cum ad illas artes applicantur, ad quas natura propensa  
dant. Accedebat deinde ad naturæ inclinationem, puerilis institu-  
tio: auunculū enim habuit Ioannē Fricum sacerdotem, rei Her-  
bariae peritum, qui hunc nepotem suum, quem ob ingenium singu-  
lariter amabat, à pueris in herbarum cognitione instituit & exer-  
cuit: quæ autem à teneris discimus, illis deinde maximè per om-  
nem vitam afficimur: itaq; non mirum est Gesnerum nostrum  
tanto studio postea in plantarum cognitionem incubuisse, cum hu-  
ic rei à puerō se dederit.

Tum igitur cum in scholam quasi in pistillum quoddam de-

## CON. GESNERI PHILOSOPHI

Basileam mis-  
suum.

Graecæ linguae  
studium.

Lexicon Græ-  
co latinum  
auxili.

Lausanne docet  
Græcas literas.

erufus esset, non intermittebat medicinæ studia, quare paulò post ab hac molestia liberatus, eodem quod domi habuerat stipendio, Basileam missus est, quò studia rei medicæ feliciter cōtinuaret.

Cum igitur Basileæ operam medicinæ daret, simul etiam se in Graecæ linguae studio diligentissimè excercuit, quod ruderet medicos & philosophos præcipuos, qui Græcè scripsissent, absq; hu- ius linguae cognitione, ex interpretum etiam doctissimorū translationibus, non vbiq; satis commode intelligi posse.

Quare ut eodem tempore & una eademq; opera, cum su- dijs, cum sumptibus rei domesticæ consuleret, qui uxore dustante cessariò augebantur, Lexicon Græco latinum auxit, ingēti acce- fione illi addita ex Phauorini Cameris Græco lexico locuplē- simo, quod tum primum in lucem prodierat. Sed hic optimi viri labor & primus studiorum eius partus, magna ex parte perij; nam typographus (ut pleriq; huius ordinis homines potius lucro suo quam commodo rei literaria student) maximam partem ac- ceßionis omisit, forte ut aliquid nouæ accessioni & editioni secun- dæ reseruaret: aut nescio quo alio consilio: nam paulò post hanc editionem typographus mortem obiit, & simul Gesneri labor pte- rijt, qui suum exemplar recuperare deinde nunquam potuit.

Eo tempore, cum annum unum Basileæ mansisset, oblatæ sibi illi conditio Græcas literas profitendi Lausanne ad lacum Le- manum, quo loco amplissimus senatus reipublicæ Bernensis scho- lam tum instituebat, liber alia stipendia professoribus offerens. In ea schola vixit triennium charus & acceptus clarissimis viris, Petro Vireto & Beato Comiti ministris ecclesia, Humberto pro- fessori Hebræa lingue, & Ioanni Ribitto, qui ipsi in professione Græca linguae successit: horum amicitiam non modo tum pre- sens, sed postea quoq; absens ad obitum vsg; grata memoria studio se conseruauit & coluit. Hoc triennio plus quam antehac oīj na- stus es: et si enim Græcam linguam profiteretur, tamen in ea se battenus ita excercuerat, ut hæc professio nullum illius studijs im- pedimentum afferreret: tum igitur se diligentius in medicina exer- cit;

# ET MEDICI CLARIS. VITA

6

eruit, & præter domestica studia, libellos quosdam medicos in lucem edidit: partim à se conscriptos, partim è Græco translatos, partim in epitomen redactos. Illic enim scripsit catalogum plantarum, in quo earum nomina secundum ordinem alphabeti proposita, Latinè primum additis è regione Græcis, Germanicis, & Gallicis atq; etiam vulgaribus pharmacopolarum nominibus. In hoc catalogo secutus est doctissimos homines, Ioannem Ruellium, Leonhardum Fuchsum, Hieronymum Tragum, quorum libri de plantis publicè extant, ita tamen, ut ubi illi visum esset, ingenuè sententiam suam protulerit, quamvis vel ab aliquo horum, vel ab omnibus sibi dissentiendum esset: quinetiam ipse multa ab illis ante non obseruata animaduertit, & liceris mandauit.

Libri ab eo  
Lausanne scrl  
pti.

Catalogus  
Plantarum.

Concepit præterea breuem historiam plantarum enchyridij forma, descriptionibus plantarum desumptis ex Dioscoride: & si que forte ab illo omisæ essent, ex Theophrasto, Plinio, & recentioribus Græcis: facultatibus ex Paulo Aegineta, et nonnunquam ex ipso Galeno aut Aetio quam breuissime adscriptis. Concepit etiam eodem tempore ex Dioscoride & Mesueo apparatus ac delectum simplicium medicaminum alphabeti ordine, cui adiecit vniuersalia Pauli Aegineta præcepta, de medicamento- rum secundum genera compositione. Compendium quoq; scripsit in Galeni libros de compositione medicamentorum secundum genera, & in eiusdem libros de compositione medicamentorum secundum locos affectos à capite ad calcem; collectis vniuersalibus præceptis, & superflue dictis & particularibus plerisque compositionibus remotis. Edidit quoq; eodem tempore alios præterea libellos, quos hoc loco non necesse est enumerare, quando non tangent publicè extant, sed insuper ab ipso, cum in Bibliotheca, cum epistola ad Gulielmum Turnerum de libris à se editis, ordines omnes commemorantur. Multò minus à me expectari arbitror aliquod de his scriptis iudicium, illud enim penes lectores esto: quamvis hoc præterire non debeam, ipsum in prefatione sua in omnia Galeni opera Basileæ excusa: compendio in Galeni li-

Historia pla-  
tarum.

Apparatus &  
delectus simpli-  
cium medicas  
mentorum.

Compendium  
lib Galeni de  
compositione  
medicamenta-  
rum.

CON. GESNERI PHILOSOPHI

bros de compositione medicamentorum, ille quod iuuenis exercitij causa edidit, præferre in Epitomas Andrea à Lacuna, quas ma-

turiori etate conscripsit.

Montempeſſu-  
lum proficiſci-  
tur.

Postquam uero triennium in his studijs Lauſane commoratus fuisset, ut cognitionem rei medicae, quam hactenus tantum frere domesſico & priuato studio ſibi comparauerat, augeret & conſimaret, profectus est Montempeſſulum, qua alij Menopolino minare malunt, vrbem studio medicinae tota Gallia celeberrimam: attamen illuc non ita diu mansit, quod neminem ex doctiōibus medicis reperiret, qui ſe domi hofpitem ſuſciperet: exiſtimatbat enim & quidem verè, ex domesſica inſignis alicuius medici conſuetudine, plus ſibi doctrinæ accessurum eſſe, quam ex eiusdem vel quotidianis publicis praelectionibus. Ex Gallia ergo in Heluetiam reuertus, Baſilea ſubſtituit, & illuc cum aliquanto tem-  
pore audiuiſſet clarissimos eius vrbis medicos, ac inter ceteros  
præcipue Albanum Torinum & Sebaſtianum Singelerum, ha-  
bitis pro more diſputationibus, inſignibus medici ab illis donatis,  
paulo poſt in patriam rediit.

Ab illo deinceps tempore Tiguri medicinam fecit, & philoſophiam publico ſtipendio docuit, annis viginti quatuor: quo tem-  
pore omni, qualis fuerit vita illius, dedit a primū bonarum ar-  
tium & literarum ſtudijs, plena deinde omnis offeſcī & pietatis  
ordine & breuiter exponam. Hactenus enim duntaxat primū  
ſtudiorum curſum expofuit, & quibus initijs ad eam, quam in ipſo  
laudamus & admiramus eruditioñē, peruererit; in quo eti multa  
ſint laude digna, quæ verbis ornare non ita difficile forſan  
eſſet, malo tamen ea cuiusque indicio aſtimanda relinqueret,  
præſertim cum mibi proposuerim non encomium ſed ſimplicem hi-  
ſtoriaṁ vitæ viri doctiſſimi conſcribere: quare nunc ab his inijs  
& quaſi floribus, ad explicandoſ fructus ſolidæ eruditioñis tran-  
ſibo. Neque tamē hoc mihi ſumo, me oratione mea explicare po-  
ſe illam, quæ in ipſo fuit, varie & ſolide eruditioñis præſtatam:  
ſatis mihi erit, ſi exponam in quibusnam ſtudiorum generibus po-  
tiſſimum

Baſilea recipit  
inſignia medici

ET MEDICI CLARIS. VITA 7

nisi sum sit versatus, & quanta cum diligentia & assiduitate:  
quorum hoc fortitudinis, alterum est prudentie.

Quoniam vero alia sunt linguarum & verborum quasi flu-  
dia, & alia rerum, quarum cognitioni illa inserviunt, dicam sepa-  
ratim de utroque genere. Fuit igitur magnum in Gesnero nostro  
linguarum studium, non tantum ut plurimas intelligeret, sed  
ut gussum etiam illarum haberet, quarum solidae intelligentiae  
non studebat. Extat huius studij publicum testimonium, Myth-  
ridates, sive, De differentijs linguarū, tum veterum, tum quoē ho-  
die apud diuersas nationes toto orbe terrarum in usu sunt. Ete-  
nī cum multa ipse obseruasset in varijs linguis, & præterea plu-  
rima haberet ab amicis obseruata, voluit ea in publicū edere, vt  
alij etiam ipsius exemplo inuitati, diligentius obseruarent illas  
linguas, quoē nunc in præcipuo usū sunt, & annotarent quoē inter  
se cognatæ sint, & quomodo conueniant, quoē item plurimum, &  
quibus nam in rebus discent. Et autem huius rei inquisitio, cum  
vtilis, tum liberalis & ingenuo homine admodum digna: nam  
cum solus homo rationis iuxta orationisq; sit compos animal,  
orationis ac linguarum differentias nosse, eruditio ac philosopho  
homine studium est dignum & aptum. Et si autem in tanta lin-  
guarum infinitate fieri non potest, vt unus homo omnium linguarū  
intelligentiam consequatur, laude tamen dignum est nosse quam-  
plurimas, & illas præcipue, quibus res cognitu necessaria literis  
mandatae sunt, quales sunt Hebreæ, Græca, & Latina, quas ille  
omnes optimè noverat, & præterea Italica & Gallica linguae  
medioīcum usum habebat.

Germanicam aut, cum illi vernacula esset, amore patriæ illu-  
strare plurimum studuit: itaque multa nomina quadrupedum,  
auium, piscium, ingeniosè excogitauit, vt nostri rerum ipsis ha-  
bentis ignotarum saltem nomina aliqua haberent. Præterea  
cum à quodam generoso ac nobili viro, & Germanicarum anti-  
quitatum studioso, accepisset libellum priorum nominum Ger-  
manicorum virorum & mulierum (quibus usæ est Germania

Linguarum  
studia.

Mythridates.

Studium exco-  
lenaz lingue  
Germanicæ.

Liber nominis  
Germanicorū.

CÖN. GESNERI PHILOSOPHI

antequam sanctorum nomina ex linguis peregrinis reciperes) quorum hic aliquot millia ex vetustis monumentis & archiuit principum virorum collegerat, & secundum terminaciones dispe fuerat, admodum hac eius diligentia delectatus, statuerat hunc bellum in publicum edere. Verum ut & ipse aliquid hac in patria conferreret, propriorum nominum vim & significationem annotauit: itaque nobis, qui antiquicatum nostrarum studiosi illum frequenter accedebamus, multa saepe veterū Germanorum propria nomina recitabat, & ostendebat omnia ferè certa aliqua ex causa imposita esse, sicut in linguis cultioribus, & apud Germanicos præcipue. Excitatus etiam huius viri labore, meditari ce-  
Origines Germanicorum uo  
cabulorum. pit Origines Germanicorum vocabulorum ex Hebreæ, Graeca & Latina lingua, sed morte præuentus, quod cœperat, absoluere non potuit.

Græcae lingue studium.

Vi autem amore patriæ Germanicam linguam excolare conatus est, ita quoq; propter philosophiæ amore, plurimum impedit opera Græcae linguae, quod præstantissimi philosophi et medici omnes fere Græci fuerint: quorum scripta, et si ferè omnia in Latinam translatæ sunt, tamen nō modò suauius verum etiam purius ex ipso fonte hauriuntur. Quandoquidem optimi interpretes sapientia à philosophis, qui suum quoddam genus dicendi habent, breuiter & acutè differuntur, qua Latinis verbis vix longa circumscriptione explicari possunt. Quare optimo consilio ab ipsa adolescentia multum opera Græcae lingue impedit: quantum in eo profecerit, doctorum esto iudicium: nos quantum studij & laboris in hac re posuerit, testari possumus. Nam præter adolescen-  
tia studia quæ supra exposuimus, & Lexicom Græcolatinum copiosa accessione auctum: cum philosophiam doceret, & medicinam exerceceret, assidue in lectione Græcorum scriptorum versabatur: neque tantum philosophos & medicos legebat, verum etiam theologos ac poetas & grammaticos, & quicquid in his præclarum illi occurseret, quod vel ad rerum cognitionē, vel Græcae lingue pro-

prietatem faceret, id obseruabat, & è memoria, qua maxima prædictus fuit, non facile sibi excidere patiebatur. Scripsit deinde carmina & Idyllia Græca quamplurima, quorum multa periere, quadam adhuc inter eius schedas extant. In Aristotelis quoque Physicos libros nonnullos, paraphrases & scholia Græcè ex Græcorum interpretum commentarijs concinnauit, Præterea translati è Græco in Latinum, Stobæum, Antonium monachum, Tatianum, Aibenagoram, Heraclidem Ponticum, Michaelem Ephesum, Oppiani Paraphrastem, Hannonem Carthaginensem, Xenocratem de alimento ex aquatilibus, Cassium Iatrophistam: Porphyrij item & Procli quædam, & alia nonnulla anonyma. Eliani opera omnia quæ extant recognouit, & librorū de natura animalium tertiam ferè partem à Petro Gillio omis- sam translatis. Postremo loca quamplurima Aristotelis, Theophrasti, Dioscoridis, Oppiani & aliorum, partim in Græcis exemplaribus depravata, partim ab interpretibus non intellecta, emendauit & explicavit. Quas omnes suas obseruationes & emenda- tiones, si separatim ab alijs operibus in unū volumen coniungere, verbi ornare, & quasi ostentare illi libuisset, non alio in opere clarissima eluceret cù varia doctrina tum singularis & excellens Græce linguae peritia. Nam ut paulo quiddam audacius de ipso scribam, affirmare ausim, ipsum Græce linguae peritia doctissimis na- stre etatis hominibus, quales multi fuerūt, non cessisse: quippe quæ non minus quam vernaculam, eam linguam familiarem sibi ha- bueris: siue scribere, siue loqui opus esset.

Sed quoniam de linguis satis multa scripsisse videor, venio nunc ad rerum magnarum cognitionem & experientiam, propter quæ linguarum intelligentia comparatur. Medicus igitur professione cum esset in universa quidem philosophia se exercuit, sed tamen præcipue in physicis, quæ medicae professioni maxime co- gnata sunt. Docuit autem Physicen & Ethicen annis quatuor & vigineti: ac nonnunquam ut se auditoribus accommodaret, com- pendia illa quæ extant doctissimorum hominum, & quos honoris

Græcè ab ipsis  
scripta.

¶ Græco trā-  
lati.

Græci auth-  
ores emendati.

Docuit in scho-  
la philosophico

CON. GESNERI PHILOSOPHI

causa nomino, Melanchtonis, Scheijkij, Velcurionis, Vuildenbergij, Barbari, & Sebastiani Foxij in schola exposuit: pricipia tamen diligentia Aristotelis Ethica ad Nicomachum, & Physicos eius libros quamplurimos ea lingua, qua ab authore scripti sunt, interpretatus est. Etsi autem prelectiones eius, quibusdam forte non conferendae videbuntur doctissimorum hominum laboribus, qui in celeberrimis Academijs maxima auctororum frequentia Aristotelem interpretatur, & plerunque suam etatem omnem in illo conserunt, id ipsum tamen quiuis facilè mihi concederit, fieri non potuisse, quin philosophia & rerum naturæ cognitionem homo Graeca lingua peritisimus, & summo ingenio praeditus, diurno docendi & legendi exercitio multum auxerit.

Quam partem physices maxime amarit & cur.

Accessit ad hæc infinitum studium & summa diligentia, quæ in omnibus naturæ partibus pernoscendis vsus es, pricipue item ea magno studio obseruavit, quæ de metallis, plantis, & animalibus tradita sunt. Statuebat enim certiorem de istis scientiis haberi posse, quam de meteoris & alijs quibusdam, vel nimium subtilibus & argutis, ac procul à sensu remotis, vel eiusmodi, confirmam eorum cognitionem nec ratione nec sensu satis sperare licet: & præterea videbat vel mediocrem saltum istarum rerum contemplationem, non solum ad medicinā & ad alias artes, sed ad vitam commodè degendam, uilem admodum esse & propemodum necessariam. Es autem hoc magni & ingenii in animi studijs non tantum probabilia & verisimilia sectari, sed in singulari, quatenus fieri potest & res ipsa patitur, firmis rationibus lalentem & abditam rei veritatem inuestigare, & ea qua inueniri in publicum proferre, quando nobis commune commodum vel Historia anima maximè spectandum es. Primum autem in lucem edidit animalium historiam, quod illi magis necessarium hoc videbatur: quod de plantis, tum multi eruditè & uiliter scripsissent & etiamnum scriberent, & de metallis doctissime uiliissimeq. Georgius Agricola vir multa laude dignissimus libros in publicum edidisset: de animalibus verò per pauci nostro seculo & tantum ex-

Hiatus.

parte

ET MEDICI CLARIS. VITA.

parte scripsissent. Et quia ad hoc opus absoluēdum, necessaria illi erat lectio eorum qui de animalibus scriperunt, & peregrinatio nes, ut varia ipse varijs in locis obseruare posset, in vitroque elaborauit. Nam omnis generis authores Græcos, Latinos, Barbaros, Obscuros, Veteres & recentiores, qui vel ex professo vel ex parte aliquid de animalibus scriperunt, legit & inter se contulit, ex ijs memoratu digna magno iudicio excerpit. Peregrinationes verò et si non multas, aliquas tamen huius operis & plantarum cognitionis gratia suscepit: adiit enim Italia nonnulla loca, & Venetijs mensem unum mansit, piscium inspicendorum & depingendorum gratia. Adiit etiam quedam Germaniae loca, & cum Argentoratum descendisset, ut secundo Rhe no in Oceanum nauigaret, & pisces Oceani atq. alias præclaras obseruaret, exorto tum infelici bello, quo tota Germania conflagravit, amicis monentibus, peregrinationem institutam omisit, & domum rediit. Ne autem & hanc peregrinationem alio tempore repeteret, & longinquiores etiam susciperet, cum valetudo non sat firma, tum maximè sumptuum magnitudo ipsum impediit, quod neque Macenatem haberet, & fortunæ eius vix mediocres bis ferendis pares non essent.

Miramur omnes & non immerito Aristotelis libros de animalium historia: sed non inferiori laude digni essent Gesneri nostris labores, nisi nostra nobis sorderent, aut etiam illis inuidemus. Etenim principi illi philosophorum ad tantum opus persicendum, infinitos propemodum sumptus Alexander magnus superpeditauit, cuius victorijs cum oriens Gracia patefactus fuisset, aliquor millia hominum in totius Asia Graciæq. tractu illi parere iussit, quos venatus, aucupia, pescationesq. alebant, quibusque viuaria, armenta, aluearia, piscinae, auiaria, in cura erant: ne quid usquam gentium ignoraretur ab eo. Quare non mirum est tam exactè & diligenter omnem penè animalium historiam ab ipso describi potuisse. Gesnerus autem noster omnibus his praefidjis destitutus, non tantum Aristotelico operi plurimum lucis

Peregrinatio-  
nes quas pro-  
pter animalia  
historiam suscep-  
pit.

Gesnerus ipso  
Aristotele in  
hoc studio ac  
insector.

CON. GESNERI PHILOSOPHI

attulit, collatis inter se Aristotelis & plurimorum Graecorum  
& Latinorum scriptis, sed his quoq; plurimas obseruationes pro-  
prias adiecit. Incensus enim harum rerum cognoscendarum  
studio, à quibus suis doctis, indoctis, ciuibus, peregrinis, ven-  
toribus, pescatoribus, aucupibus, pastoribus & omni hominum  
genere multa subinde interrogando collegit. Deinde in diuer-  
sis Europæ regionibus amicos complures sibi comparavit, qui  
benignè, candidè, liberaliter, multas animantium omne genus  
effigies ad viuum repræsentatas, quarundem etiam nomina in  
diuersis linguis, & historias, illi communicarunt. Horum no-  
mina ab ipso pleraque commemorantur ante initia librorum:  
multis etiam gratum se ostendit inscriptionibus suorum libro-  
rum: & sunt fortè nonnulli, quorum ideo nulla facta est men-  
tio, quod eorum literæ, opere demum absoluto & edito, illi sunt  
allatae: quibus tamen haud dubiè alia ratione se gratum ostendis-  
set, si illi contigisset vita diuturnior. Cum verò eodem tempore  
quo in hoc opere versabatur, editi essent de aquatilium natura  
libri præclari à doctissimis viris, Gulielmo Rondeletio, Petro  
Bellonio Galli, & Hippolito Saluiano Romæ, scripta Ronde-  
letij & Bellonij integra suo operi inseruit ipsorum nominibus ad-  
ditis. Nolo hic commemorare quam liberaliter vnicuique suam  
laudem tribuat, quam ingenuè quadam ipsorum emendet, quam  
liberè etiam aut ab altero illorum, aut ab utroque nonnunquam  
dissentiat, cum hæc ex ipso opere eius cognosci possint: hoc tantum  
dico, Rondeletium & Bellonium, cum inter ipsos fortè æmulatio  
quadam exorta esset (vt fieri solet) ambos tamen nihilominus  
Gesnero nostro amicissimos fuisse, & illi multa, cum ad animalium  
rum ad plantarum historiam perficiendam & ornandam, liber-  
liter suppeditasse.

Sed quoniā præcipua pars laborum Gesneri nostri, sunt libri  
de animalium historia, & non omnibus licet aut vacat tam ma-  
gna volumina sibi comparare & euoluere, existimo multis gra-  
tum fore, si argumēcū & methodum operis eius paucis expōnō,

Quomodo co-  
gnitionem ani-  
malium sibi  
comparat.

& maleuolorum etiam calumnijs respondeā, qui optimi viri maximos & veſtissimos labores iniustissimē carpunt. Statuerat vir doctissimus omnem animalium historiam sex libris complecti, quorum quatuor sunt editi. Primus de animalibus quadrupedi- bus viuiparis, secundus de quadrupedibus ouiparis, tertius de aubus, quartus de piscibus & aquatilibus animantibus: his addi- turus erat quintum de serpentibus, & sextum de insectis. Col- legit autem horum quoq; librorum materiam copiosam, & pictu- ras ad viuum factas multas congeſſit: opus tamen ipsum neque absoluīt, neq; in ordinem aliquem digeſſit: parim quia typogra- phus editionem horum librorum in aliud tempus differebat, par- tim quod ipſe quoq; alijs ſcriptionibus occupatus eſſet. Ac etiā vni- versum opus inscripsit historiā animalium, attamen non tantum animalium historiam, nomina, ac genera, & singulorum species & differentias, formas item singulorum & partes, deinde loca in quibus veriantur, actiones præterea ac mores & ingenia, & que- ſunt huius generis alia deſcribit, verūm præterea explicat uſum quem homines ex animalibus ſingulis percipiunt: quorum alia ve- natione capiuntur, & exhibentur in ludis & ſpectaculis, aut do- mantur & cicurantur: alia domētica varijs hominum uſibus in- ſeruant: quo loco instrumenta non præterit, quibus ad uſum eo- rum homini opus eſſe: alia lucrum homini afferunt ipſis parti- bus quarum varius uſus eſſe, vendendis. Multa præterea in- cibum admittuntur: quenam autem illa ſint, quale alimentum ex ſingulis corpori accedat, quomodo ſingula apparanda & con- dienda ſint, diligenter exponit. Adhac, remedia ex animalibus homini utilia ſtudiosè omnia ex varijs medicorum libris congeſſit, & ſimul quoque remedia addidit de morsibus vel iictibus ani- malium in homine curandis: poſtremò plurima qua ad Philolo- giam perrinent, ex optimis veriusque linguae auctoriibus colligit. Quare in his libris continentur commentarij locupletissimi & ca- ſtigationes plurimæ in veterum ac recentiorum locos pene infini- zos, quando una quadrupedum viuiparorum historia ex authori-

Argumenta  
historiæ anima-  
lium,

CON. GESNERI PHILOSOPHI

bus fere ducentis quinquaginta collecta est.

Ordo historie  
animalium.

Securus autem est in animalium historia ordinem alphabeticum, videbatur enim illi ordo hic commodior ad inquirendum, scutis & Lexicorum ordo, harum rerum imperitoribus: nam indicem semper querendi causa adire, saepe molestum est. Eisi autem ordo hic est grammaticus, qui a philosophis reprehenditur, defendi tamen potest exemplo veterum quorundam doctissimorum hominum: atque ut alter ordo sit praestantior, hic tamen est plerisque virilior. Quin etiam aliquoties de hoc admonitus, respondebat omnem suam tractationem fere Grammaticam magis esse quam philosophicam, sequente non philosophis, qui paucissimi sint, sed Grammaticis, & philosophia tyronibus, quorum maximus est numerus, hac condidisse. Addebat etiam se ideo ordinem Alphabeticum secutum esse, quod omnia quae apud quos suis autores huius argumenti extant, colligere statuerat, apud quos cum multa sint dubia et incerta, ut ad quod genus referas non constet, literarum ordo hic etiam commodior est vius. Interea tamen non ita huic ordini addictus fuit, quin saepe quae cognata sunt coniuxerit, veluti boum varias species, Bubalum, Bisontem, Bonum, Tarandum, Vrum, & plura præterea Boum ferorum & sylvestrium genera: item Accipitrum species Æsalona, Buteo, Tinnunculum, Cymindidem, Faltones: & inter aquarilias Cancrorum, Concharum, Galeorum, species quamplurimas. Præterea Icones animalium cum separatum ederet cum nomen claturis, per classes secundum genera & species omnia digesta.

Ordo in descri-  
ptione singulo-  
rum animalium.

In singulorum autem historijs totam tractationem per octo capita, octo prioribus Alphabetii Latini literis maiusculis inscripta, paritus est. Primum continet nomina diuersarum gentium, Hebraica fere primum & Hebraicis finitima (ut Arabica, Chaldaica, Saracenica) deinde Persica, Graeca, Latina, Italica, Hispanica, Gallica, Germanica, Anglica, Illyrica: vel omnia vbi babere potuit, vel aliqua saltus: saepe etiam vocabulis substitutis noua fixit tum in vernacula lingua, tum in Latina aut Graeca. Secundo

Secundo capite docet, quibus in regionibus animalia quæque reperiantur, & quomodo secundū illas differant: & si species eius animalis, diuersæ reperiuntur, aut aliae quædam differentie, illas etiam explicat. Præcipue verò corpus describit, & primum corporis magnitudinem, deinde partes singulas, simplices pri-  
mum externas internasq; solidas & liquidas, ut sunt in quadru-  
pedibus pellis, pilis (& qui accidit eis color) sanguis, adeps, medul-  
la, ossa, vene, nerui, &c. Deinde compositas à capite ad pedes, &  
caput, cornua, cerebrum, oculos, aures, nasum, os, linguam, dentes,  
pectus, dorsum, cor, pulmones, ventriculum, hepar, fel, lienem, in-  
testina, genitalia, crura, pedes, vngues vel vngulas. In illis etiam  
animalibus, que ab hominibus aluntur, ut pecora, iumenta, ca-  
nes, electionis notas in hoc capite inferuit.

Tertio capite, comprehendit naturales corporis actiones,  
que vel ad vitæ conseruationem, vel speciei propagationem per-  
tinent: singulatum verò hic describitur animalis cuiusq; vox,  
sensus, cibus, potus, somnus, somnia, excrements alui, vesicae, ge-  
nitalia, sudor, menses, lac: Loci item in quibus versantur, ve  
montes, lylæ, paludes, loci frigidi, calidi. Actiones corporis, quod  
ad motum & quietem, ingressus, cursus, volatus, serpacio, natatio,  
cubatio, sanitas & eius signa & conseruatio, præcipue circa peco-  
ra & ea que ab homine aluntur animalia. Libido, coitus, con-  
cepus, gestatio & prægnantium cura, abortus, partus, fœtarum  
cura, fœtus eiusq; educatio. Aetas & eius dignatio, vitæ spatiū,  
morbi, eorumq; causa, signa, præcautiones, remedii.

Capite quarto, de animi affectibus, moribus, & ingenij agitur: quæ singulorum animi bona aut virtutes, quæ mala aut  
vitia sint, tum inter se, tum erga fatus suos, erga hominem,  
sympathias & antipathias, hoc est naturales quædam concordias  
& dissensiones singulorum, primum ad alias animantes, dein-  
deinde ad res inanimatas.

Caput quintum est de vsu ex animalibus percipiendo, ex-  
emplum tamen, ac remedia. De venatione animalium, &

CON. GESNERI PHILOSOPHI

quomodo capiantur: quomodo domentur vel cicurentur: quomodo tractentur, siue curentur & nutritur, & sanitatis tuenda præcepta: & in pecoribus, que ad pastores, greges, & stabula pertineant. De instrumentis quibus ad usum eorum homini prestatum opus est, ut in bove, de aratro, in equo, de re curuli. Exhibito eorum in ludi & spectaculis, pretium & pecunia que ex ipsis eorumque partibus vendendis habetur, usus diuersi hominibus utilles ex singulis partibus, ut pellium ad vestes, cornuum aut angularium suffitius, ad fugandos serpentes, excrementorum ad flegorandam terram, prognostica tempestatum, & alias que ex ipsis habentur commoda.

Sexto capite tractatur de alimento ex animalibus, tum integris, tum per singulas partes; simpliciter primum que in cibis admittantur, aut non, deinde medicè & quam salubriter id fiat, & quale alimentum ex singulis corpori accedit, & si quid aliud huiusmodi medici scriptum reliquerunt: postremò de apparatu & condimentis singulorum.

Septimum caput remedia ex animalibus homini utilia comprehendit, idq; eo ordine, primum ex integris animalibus, deinde ipsorum partibus, tum simplicibus, tum compositis. Et quoniam saepe ab una parte multa variaq; medicamenta sumuntur, in morbis certum sequitur ordinem, ut prius communes morbi, dein de particulares à capite ad pedes progressu facto commemorantur. Saepe etiam supersticiofa quedam ab ipso ponuntur, nō quod hæc ullo modo probaret, qui potius in his reiiciendis multis modum excedere visus est, sed quoniam omnia, que habere posuit, congerere statuerat, hæc omittere noluit, præsertim cum nonnulla sint eiusmodi, ut nō omnibus etiam eruditis supersticiofa videantur. Post remedia autē ex animalibus, de morsibus vel ierbib; animalium in homine curandis tractat: & methodum medendi primum, in genere præscribit, deinde per singula medicamenta, diligentissime apud authores obseruata.

Postremum

Postremum caput totum Philologicum, & Grammaticum est, ex varia & multiplici lectione confectum, quod in plures partes ab ipso subdividitur. Prima habet nomina Latina & Graeca, qua minus usitat a sunt, ut poetis, aut alicui dialecto peculiaria, aut etiam ficta & ridicula, & nominum etymologias; ac propria animalium nomina: Item epitheta, primum Latina, deinde Graeca, & metaphoricum nominum usum, ac deriuata Latina & Graeca separatum. Agit etiam in hac parte, de imaginibus animalium pictis, sculptis, fusis, aut aliter expressis. Præterea de lapidibus, plantis, animalibus alijs que nomen à praesenti animali deducunt: & postremo loco, ponuntur nomina propria hominum, regionum, oppidorum, fluviorum, &c. Quæ vel ab animalis nomine sumpta sunt, aut saltem illi ita similia sunt, ut inde sumpta videri possint. Sex deinde sequentes partes, eiusdem argumenti sunt cum sex proximis à primo capitibus, nisi quod hic grammatica solum, philologica & poetica attингuntur: quamvis de medicamentis, quæ septimo capite traduntur, hic raro aliquid inueniatur.

Postrema parte philologica tractationis, Historie & fabulae narrantur, deinde quæ ad diuinationem pertinent, prodigia ostenta, portenta, monstra, omina, auspicia, auguria, item quæ ad religionem, veluti animalium quorundam sepulture, quæ quibus diis sacra sint, quæ sacrificentur: præterea proverbia hoc loco commemorantur, tum quædam ab Erasmo non admittentes, tum ab ipso quidem annotata, sed hic quædam prolixius quædam brevius exposita, quædam castigata: quibus etiam alias proverbia adduntur, ex vulgaribus linguis, aut sacris literis desumpta: præterea similitudines, emblemata, apologi.

Hac igitur capitum serie in singulis fere quadrupedibus, animis, piscibus usitatur, nisi ubi peregrinorum animalium nature, non ita bene vel nobis cognitæ sunt, vel veteribus descriptæ, tum enim necesse fuit, aliqua capita omittere. Ex hac tamen capitule

## CON. GESNERI PHILOSOPHI

enumeratione, etiam hi quibus non uacat totum opus inspicere  
facile animaduertent, quanta diligentia quam magno labore  
opus tam grande confectum fuerit. Quò minus audiendi sunt,  
qui doctissimi hominis labores eleuare conantur, & factis crimi-  
nationibus immerito proscindunt. Aiunt esse centones, ex variis  
authoribus consutos, omnibus nimia prolixitate molestos. Ordin-  
nem seruari puerilem, & Grammaticum, non philosophicum  
quale in animalibus describendis Aristoteles & seruarit, & ser-  
uare docuerit. Stilum præterea reprobendunt nonnulli: & icones  
nonnullas falsas esse aiunt, alias verò male & ineleganter pictas.  
Horum omnium criminationibus, quamuis optimè Gesnerus no-  
ster, iam ante responderit, tamen mei officij esse existimo in hac  
vita eius descriptione, paucis eius responsiones repetere, & labo-  
res maximos, & utilissimos, contra calumnias aduersariorū tua-  
ri. Centones, inquit, sunt libri Gesneri de animalibus: quasi  
verò non id ipsum author palam profiteatur, hæc ex multiplici  
lectione & omni authorum genere esse congesta. Quòd si ostendero  
hæc maximis laboribus esse collecta, eumq; vsum habere, ut optan-  
dum foret in omni artium & disciplinarum genere huiusmodi  
vel centones, vel pandectar extare, fateantur se vel imperitos  
qui hæc ignorent, vel ingratos, qui nulla ratione habita laborum  
maximorum, quos in hoc opere exantlauit, & publica studioso-  
rum utilitatib; id temerè damnare ausi sint. Ac laboris immensis  
esse, vel tantum opus describere nemo non videt, sed ex veterum  
& recentiorum libris materiam amplam congerere, multa ex  
diuersis linguis transferre, multa obseruare, & propria expe-  
rientia vsu & ratione confirmata veteribus addere, atq; hæc om-  
nia ordine digerere, & singula in suos locos referre, que ille  
omnia in his libris præstít, laboris est pene infiniti, & requirit  
hominem non tantum laboriosum & diligentem, sed linguarum  
quoq; peritum, iudicij exacti, & methodi non imperitum. Tale  
autem opus pandectarum doctoribus & professoribus cuiuslibet  
scientiae, magnam utilitatem affert. Quoniam enim eiusdem ar-  
gumenti

Quæ nam res  
prehendantur  
in animalium  
historia.

Centones.

Vetus halusmos  
di Centonum.

gumenti scriptorum omnia loca in unum congeruntur, si qua apud aliquos fuerint dubia, obscura, pugnantia, falsa, corrupta, facilime & certissimè mutua collatione authorum explicantur, conciliantur, arguantur & emendantur: esse hoc genus commentariorum longè præstantissimum. Et quanquam propter magnitudinem operis, continua lectione huiusmodi commentarij euoluunt non possint, præsertim ab illis, quibus per occupationes, aut diuersum genus studiorum, id facere non libet, aut non licet, erunt tamen illis etiam utiles, si eis tanquam Dictionarijs uti voluerint, ita ut una tantum de re de qua inquirunt in ipsis, elegant, quam propter ordinem eundem perpetuo seruatum reparent facile. Consultetur autem hac ratione, & laboribus studiorum, ne eadem roties apud diuersos sint legenda, non acquiescente interim animo, dum aliud apud alios forè melius inueniuntur speratur, & tempori parcitur, cuius iactura esse preciosissima, quando semel omnia tantum & uno loco leguntur, neq; diuinquerendum est: sumptus quoq; minuantur, quò minus multii codices sunt emendi. Quare et si huiusmodi commentarij, centones appellantur & prolixii sint, tamen utilitas facile prolixitatem excusat.

Quod autem ordo reprehenditur, ut qui magis sit Grammaticus, quam Philosophicus, quod illi quasi crimen aliquod obijciunt, id ipsum ingenuè author fatetur, & nos cur hunc ordinem secutus sit, supra exposuimus, atq; ostendimus eum, hac in re, ve in ceteris omnibus, non tam suæ laudi, quam satis magnam apud omnes bonos consecutus esse, quam utilitati publicæ voluisse consulere.

Quod si stilus non satis elegans & ornatus quibusdam videatur (que tercia fuit accusatio) cogitetur illi, qui hæc reprehendunt, eum in maxima rotius operis parte, adscribere verba authorum ex quibus aliquid desumpsit: quare si qui illorum minus pure & ornatae, nonnunquam etiam barbaræ & ineptæ locuti sunt, ipsi culam præstabunt. Deinde vero, quæ ipse suis verbis describit, ea

Ordo historie animalium.

Stilus Gesneri  
in historia ani-  
malium.

CON. GESNERI PHILOSOPHI

multis in locis, ubiq; purè & Latinè, plerunq; etiam eleganter & ornatè scripta sunt. Danda autem est illi venia, si in rebus tam varijs & innumeris occupatisimus, non tantum opera quantum alioqui potuisset, orationi excolenda impedit. Nam & ipsum operis argumentum, orationem non tam grauem quam perspicuam & interpretationi aptam requirit, quando authorum verba non tantum recitantur, sed plerunq; ubi opus est, explicaciones adduntur: ut non tantum historia animalium hi libri dic possint, sed commentarij in authores, qui de animalibus scripserunt. Et ipsa historia animalium rerum cognitione contenta, non admodum orationis ornatum desiderat. Imò ut Plinius in simili opere scribit, huiusmodi lucubrations, nec ingenij sunt capaces, nec admittunt excessus, aut orationes sermonesue, aut casus mirabiles, vel euentus varios, aut alia iucunda dictu aut legentibus blanda: sterili materia, rerum natura, hoc est, vita narratur, & hæc sordidissima quoq; sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, imò barbaris, etiam cum honoris præfatione ponendis. Quod si Plinius, qui Latinæ lingue purissimam cum lacte hauserat, & Mecenate usus Vespasiano plurimam adiumenta habebat, tamen de stili angustia & ruditate, insimili arguento excusationem instituere voluit, quanto iustius venia dabitur Gesnero nostro, si non ubiq; oratio eius deliciosa bus auribus satis faciat, homini inter Germanos nato & educato, cui latina lingua peregrina, cui nulli Mecenates, in tanto operi impedimenta autem plurima obiecta fuere?

Et quod iam de genere dicendi diximus, id illis quoq; respondum esto, quibus Icons non satis elegantes esse videntur. Alij quidem liberalitate principum virorum adiuti, animalium & planitarum figuræ eleganter in æs insculptæ in publicum ediderunt, at in huius operis editione sumptus omnes, unus typographus sufiniuit: quare si quid in elegantia peccatum est, culpam prestat bunt typographus, sculptores & pictores, non autem anchoripse. Falsas autem confitasque imagines ab ipso positas esse, vnu ledor

De Iconibus  
animalium.

lectori imponeret, falsa conficta q̄ es ē accusatio: etenim si quæ vel  
false, vel saltē suspectæ sunt icones, indicat à quo acceperit, mo-  
net sibi suspectas esse, certus rationibus adductis reprehendit: in his  
quæ q̄ ad uiuum sunt expressæ, sicubi pictor lapsus fuerit, quid  
erratum sit, sedulò monet ac se excusat. Tanta igitur ingenuita-  
te cum toto opere v̄sus sit, dolendum es ē homines literatos, tam  
non ingenui illius laboribus obrectare. Atq; vtinam illi, qui  
Gesneri nostri labores criminantur, sua ipsorum intueantur, quæ  
ip̄s̄ fortè perfecta expleta q̄ omnibus numeris & partibus vi-  
dentur, inuenient certè in his sua opinione plura quæ refecare  
vel addere possint. Quod si quis etiam mediocriter doctus, indices  
seu nomenclaturas animalium, quas ille varijs linguis librorum  
initijs præfixit, legat, & ipsa tantum nomina secum expendat in-  
genue, quenam sibi nota, quæ item incognita sint, facile agnoscer  
qui fuerit Gesneri nostri labor, qui non solum tot nomina, sed res  
ipsas tanta diligentia persecutus es.

Verum nunc eius eruditonem & diligentiam prædicare no-  
lo, neq; enim illi aliena laude opus es ē, quem satis laudant apud  
omnes doctos & bonos, scripta ipsius plurima & doctissima. Et  
quia satis multa de animalium historia scripsi, ad reliquos ipsius  
labores venio: superius autē ostendi eum, in omnibus naturæ par-  
tibus pernoscendis, summa diligentia versatum esse, præcipuo ta-  
men studio obseruasse, quæ de metallis, plantis & animalibus tra-  
dita sunt. Etsi verò quas incepérat scriptiones, absoluere in vni  
versum non potuit, maxima tamen pars historicæ animalium ab-  
soluta & edita es ē. De metallis autem & gemmis exiguum qui-  
dem libellum edidit, collegit tamen immensam materia: & quia à  
fodinis metallicis longius aberat, quàm vt ip̄s̄ singula eo loco quo  
nascentur inspicere posset, fecit quod & ante in animalium histo-  
ria fecerat. In illis locis vbi præstatiſſimæ sunt fodinae, amicos sibi  
quā plurimos comparauit, qui illi quàm plurima & rariſſima  
misere: itaq; quod regio nostra illi denegabat metallorum non fœ-  
cunda, id diligentia & amicorum studio pensauit.

De metallis &  
gemmis.

## CON. GESNERI PHILOSOPHI

Studium rei  
herbariae.

Veruntamen in nulla parte naturae rerum diligentius est versatus, nulli rei plus temporis & operae impendit, quam planarum cognitioni. Etenim adolescens aut potius puer (*ut ab initio indicauimus*) à patruo ad hoc studium institutus est, id deinde semper amauit, seq*u* in eo libentissime exercuit. Nam & Lausannæ cum esset, s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> herbarum gratia montes Sabaudia pererrabat, & Basileæ non minori studio ad Rheni ripas, & paucam per latè patentes campos, & in vicinis montibus plantas inuestigare solebat. Tiguri autem postquam habitare cœpit, non tantum in agros & montes vrb*i* vicinos herbarum noscendarum causa exire conseruerat, sed quotannis ferè aliquam peregrinatio nem in alias Heluetiæ partes eiusdem rei gratia suscipiebat: itaq*ue* magnam partem alpium Rheticarum & Heluetiarum, plantarū causa perlustrauit. Quinetiam cum Venetias profectus esset, vt Mediterranei maris pisces in vrb*e* celeberrima cognosceret, non minori cura & studio in illo itinere plantas, quam in ipsa vrb*e* pisces, & obseruauit & depingi curauit. Eademq*ue* diligentia in peregrinationibus Gallicis est usus. Obseruabat autem non tantum plantas à veteribus, Dioscoride, Plinio, & Theophrasto descriptas, aut à recentioribus Ruellio, Fuchsio, Trago, sed natu*r*a ipsius obseruator, omnes ante sibi non vissas plantas colligebat, depingebat, in hortulo suo plantabat. Diligenter praeterea primas qualitates plantarū & temperamenta inuestigabat, & in huc usum quasvis plantas gustabat, alligabat corpori, & varijs rationibus carum vires experiebatur. Nec verò suo unius iudicio ritebatur, sed libentissime aliorum sententias audiebat, nec medicorum tam rusticis, & s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> etiam à mulierculis, vulgaria nomina plantarum discere, & usum herbarum in medendo quem ipsi aut experii essent, aut à maioribus suis accepissent. H<sup>e</sup>bitent enim s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> numero homines rusticci varia experimenta à maioribus quas per manus tradita, quibus s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> feliciter admodum reuuntur: hoc ille neq*ue* affernabatur fastu quodam, quo s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> homines aliqui eruditu*m*

eruditæ, inflati etiam optima spernunt: neque statim quibusvis  
fidem habebat, sed singula ratione & methodo exacta diligenter  
examinabat. Conferebat autem magno cum iudicio plantas  
quas norat cum veterum descriptionibus, atq; ut hoc rectius face  
re posset, prius veterum descriptiones Theophrasti, Dioscoridis,  
Plini, diligentissimè inter se contulit: ex qua collatione, multæ  
esse ostendit: eodemq; modo non pauca in Dioscoride & Theophra  
sto eorumq; interpretibus, corrupta, aut male translata emenda-  
uit. Tantam eius diligentiam cum agnouissent complures homi-  
nes doctissimi, vt qui eius iudicio multum tribueret, certatim ad  
eum misere semina varia, & plantas quamplurimas, cum recen-  
tes, tum siccas: idque ex Italia, ex Gallia, ex Germania, & ex  
Anglia vsq;. Itaq; cum propria diligentia, tum amicorum studio  
collegit plus quam quingentas plantas, quarū descriptiones apud  
nullum veterum extant. Iamque se operi accinxerat, vt quæ tri-  
ginta fere annis maximo studio & labore penè infinito collegerat,  
in publicum ederet, cum fati vi nobis ereptus, præclarum opus  
absoluere & expolire non potuit. Attamen ne tanti eius labores  
perirent, quæcunque de plantis collegit & annotauit, ea omnia  
cum decumberet: testamento legauit clarissimo medico Caspari  
Vulphio, eique operis editionem commisit: & quantumvis æger  
& admodum infirmus, diligenter tamen & accuratè methodum  
quam seruare insituerat, exposuit. Antequam verò in morbum  
incideret, figura plantarum quam plurimæ ligno insculptæ fue-  
runt, in quibus depingendis ipse frequens pictori aderat: & cura-  
bat sedulo, primum, vt certa seruaretur in omnibus proportio,  
vt pictor non artem suam ostentaret, sed naturam imitaretur &  
ad illam quam proximè accederet, & in folijs fibras, in floribus li-  
neolas, non quas ipsi collibusisset, sed quas natura in his fixisset  
quam exactissimè repræsentaret. Diligentia huius non dubito  
Vulphium nostrum hæredem quasi fore, qui quoniā hoc onus in-  
se receperit, pro sua erga Gesnerum fide & amore operam dabit, vt

## CON. GESNERI PHILOSOPHI

ne scheda quidem collectaneorum eius de plantis pereat, & totum opus quam elegansimè absoluatur, & in lucem edatur. Parcius autem de tam præclaro & à multis diu expectato opere nunc scribo, quod Volphij Hyposchesis in publicum edita satis explicat, quid studiosis hic expectandum sit.

De cognitione  
rei medicæ.

Quoniam verò hactenus studia & labores Gesneri qua ponui diligentia persecutus sum, deinceps antequam de reliqua vita & moribus dicam, professio ipsius postulat, ut de re medica aliqua etiam exponam: quod faciat quam paucissimis, ne in re mihi incognita temere quicquam scribam, ut mihi dicatur, Sutor ne ultra crepidam: ea enim que hactenus exposui, magis sunt artium humanitatis studiosis cōmunia. Quantum in cognitione rei mediae valuerit, medicorū esto iudicium: nos de artis usus ea que nobis ex ipso cognita sunt scribemus: quod si non multa proferemus, mirum nemini videbitur, qui mores nostrorum hominum norit: quorum plerique à pharmacis abhorrent, & medicorum operarū non nisi in extremis & desperatisimis morbis utuntur. Præterea Gesnerus qui nollet medicinam quæstus causa facere, artis sua partem maximam domesticis lucubrationibus consumpsit: interea in medicina non parū potuit. Nam & hydropes aliquot graues, apoplexias non paucas, epilepsias plurimas, & alios ingentes morbos curauit in ijs, qui & mature accersere & obtemperare voluerū. Senes asthamaticos quosdam iam ferè animam exhalantes reuocauit. Arteriarum in temporibus sectionem, veteri clysteres in grauissimis mulierum morbis, ab Hippocratis usque seculo repetit, & ijs non semel feliciter usus est. Remedia quoque alia preciosa & singularia plurima habuit, quæ partim ab amicis accepit, partim ipse, ut fuit eruditione & experientia nulli secundus, medici doctissimi tribuerint, malo ex ipsorum scriptis cognoscit. Certe prudentissimi viri, qui officinæ Frobeniana Basilea præfunt, cum superioribus annis Galeni opera in publicum ederent, hunc unum editioni præesse voluerunt, quod existimarent et eius iudicium

indictum esse exactissimum, & nominis gloriam & auctoritatem esse maximam, quæ operi non vulgarem commendationem afferre posset.

Posteaquam quæ eius fuerint studia exposui, venio nunc ad vitam & mores: & quoniam pietas in Deum veræque religionis studium, in hominis vita principem locum tenet, ab eo ordinar, & quis eius de religione sensus fuerit exponam. Primum itaque existimabat omnem de religione doctrinam ex sacris literis esse petendam, ideo eas libenter & sàpe legebat, præcipue tamen Psalmorum lectione afficiabatur, quos sàpe Hebraicè legebat: plurimum etiam Apollinarij Græca paraphrasi delectabatur. Deinde cum magna soleat esse veterum auctoritas, qui quondam melioribus ecclesiæ temporibus floruerunt, si quid haberet oīij, libenter in horum lectione consumebat, præsertim Græcorum quorum plerosque legit, quosdam etiam in Latinam linguam trastulit. Tanto autem studio sacras literas legit, ut de grauissimis controversijs religionis nostræ optimè iudicare posset. Neque sententiam suam disimulabat, sed palam testabatur se vniuersam doctrinam nostrarum ecclesiarum, ut sacris literis & veteris paribus consentientem, amplecti & ex animo probare. Præterea cum superioribus annis grauis controværsia de sacra trinitate exorta esset & agitata in ecclesijs Poloniæ, qua nunc quoque misere lacerantur & vexantur eius regni plures ecclesiæ, haberet autem amicos ex illo regno doctos & nobiles viros, saepè illis suam sententiam coram exposuit, & discedentibus scriptam dedit, ac eos ad constantem vere doctrine professionem corroboratus est: atque grauissimis rationibus & scripturarum firmis testimonij. Antitrinitariorum errores damnauit. Coluis quidem multorum amicitiam qui diuersam de religione sententiam sequerentur, in nullius tamen gratiam, suam de religione persuasionem non modo mutauit, sed ne disimulauit quidem. Audiebat autem conciones sacras, non tantum festis diebus, sed quotiescum Bullingerus, quem ille præ ceteris obseruabat, con-

Iudicium eius  
de religione,

CON. GESNERI PHILOSOPHI

cionaretur (quod præter diem dominicum bis ille in septimana se lebat facere) assiduè intererat, plerunque secum Hebraum codicem afferens, si ille librum aliquem veteris testamenti interpretaretur. Quamuis enim medicus esset professione, existimat & rectè cognitionem veræ religionis nihilominus ad se pertinere, & ad omnes qui modo omnibus commune nomen Christiani hominis tueri velint. Statuebat etiam hunc esse præcipuum frumentum studiorum suorum qui ex illis ad usum ecclesiæ redundaret: ideoque in animalium historia multum laboris impendit Hebreis nominibus interpretandis: & ferè omnia illa loca scripturarum, in quibus animalium mentio fit, accuratè interpretatus est, ut ex sua professione aliquid studiosis sacrarum literarum commodi afferret.

Vita & mores.

Respondebat autem vita eius & mores veræ religionis professioni: summa enim illo fuit humanitas, simplicitas, integritas: nulla ostentatio, luxus nullus, libidanis ne vestigium quidem apparebat: pudoris & verecundiae tantam habebat rationem, ut obscenum aliquid non modo ipse dicere, vel ab alijs audire, sed ne legere quidem sustineret, quod satis testatur Martialia ab ipso castratus. Adeo autem boni mores illi curæ fuere, ut sapere cum grauissimis theologiis consultarit, quamam tandem ratione collapsa ecclesiæ disciplina restitui posset: dolebat enim illi reputationis omnibus, doctrina religionis à tam multis erroribus repurgata, in morum & vitæ reformatione adeo tardos progressus fieri.

Amicitias quo modo coluerit.

Amicitias honorum & doctorum hominum studiose sibi contantum inscriptiones quamplurimæ, in quibus beneficia amicorum celebrat & se gratiæ exhibet, sed multa officia, cum priuatum cum publicè, amicis exhibita. Quorundam enim libros ab ipsis nondum absolutos, post eorum obitum absoluunt: aliorum scripta commendata recognouit: plurima in lucem edi curauit: prefationes addidit, aut aliquid suorum scriptrorum adiunxit: multis etiam dedit Graeca exemplaria quæ illi transferrent & in lucem edebant,

## ET MEDICI CLARIS. VITA.

rent, alijs alias occasiones se exercendi præbuit. Mirifice enim  
 amabat eos, qui vel mediocres progressus in literis facissent, & af-  
 sidui ac diligentes in studijs essent, eorum conatus iuuabat & in-  
 genia quacunque ratione poterat excitabat. Commemorarem no-  
 minatum complures huius rei testes, si neceſſe eſſet, nunc cum ex-  
 Catalogo operum eius quem huic historiæ adiunximus, quid ami-  
 cis preſtiterit, facile apparet, libens ab hac commemoratione ſu-  
 perſedeo. Certe ut alia omittam, yna operum Cordi editio, eius  
 erga amicos fidem & in illis ornandis diligentiam teſtatur: Cor-  
 dum enim cum adhuc in viuis ageret non nouerat, neque ulli ami-  
 citia conſuetudo ipſis inter ſe fuit, eum tamen propter communia  
 ſtudia amauit, & ea diligentia opera eius conquisiuit & in publi-  
 cum edidit ut in proprijs maiore vti non potuerit. His moribus  
 amicos ſibi comparauit complurimos & domi, in patria, & apud  
 exteris quoque nationes. Domi enim gratus & acceptus fuit Se-  
 natui, charus bonis omnibus: vulgus verò quod de literis iudica-  
 re nefcie, forte non ita magni illā faciebat: ex his tamē qui ipsum  
 familiarius nouerant, eum non tam propter eruditioñem, quam  
 propter morum integritatem amauerunt. Medici reliqui noſtre  
 urbis ipsum ut patrem amabant & venerabantur, quos ipſe vi-  
 eiſim filiorum more complectebatur, & quacunq; re poterat iuu-  
 bat atq; ornabat. Eccleſia autē ministri cum illo fraterno amore  
 coniuncti fuerunt, quorum quicunque voluit, eius opera parata  
 & gratuita ſemper vſus eſſet. Neque in patria tantum, ſed in  
 exteris regionibus theologos, medicos, pharmacopœos quampluri-  
 mos habuit artiſtima amicitia ſibi coniuctos: non tantum Ger-  
 manos, ſed Anglos quoque & Gallos & Italos & Polonos.

Patebat porro eius domus ſemper omnibus peregrinis, preci- Hospitallis.  
 puè literatis hominibus, quorum plures ad illum quotidie con-  
 fluebant, alijs ut ipsum viderent & noſcerent, alijs ut aliquid rarū  
 & ſpectatu dignum apud ipsum viderent. Erat enim domus eius  
 rebus huiusmodi referta, habebat omnium fere peregrinorum ani-  
 malium vel cadavera, vel effigies coloribus eleganter ad viuum

CON. GESNERI PHILOSOPHI

expressas: plantas autem plurimas & nostris regionibus antignotas alebat in suis hortulis, plures siccatas in suis thecis reconditas habebat: collegit quoque gemmarum, metallorum, & rerum fossilium non contemendum thesaurum. Hac autem vniuersitate non sibi tantum recondita seruabat, sed quicunque rerum naturae studioſi illum accederent, his libentissime singula demonstrabat, & eruditè ac suaviter de eorum natura & viribus differebat. Etenim cum natura liberalis & munificus esset, auro autem & opibus amplis non abundaret, ea que ipsius munericis erant, quæ ex eruditionis varia & experientia thesauris depromebantur, libentissimè clargiebatur. Nam cum à præstantissimis Germania, Gallia, Italia medicis multa haberet in arte medica secreta, ut vocant, multa etiam suo Marte inuenisset, usque felici comprobasset, quæ si sordidus fuisset ac auarus, ut plerique nostro seculo sunt, sibi seruare potuisset, ac rem suam familiarem inde augeret, illa tamen omnia, ut fuit publicæ utilitatis studioſissimus, partim in communem omnium usum vulgare, partim amicis personis communicare, nunquam est deditus. Etenim huic eius ingenio munificentiae studioſi medicinæ acceptum ferunt, Euonymi thesaurum, in quo permulta præclara & recondita in lucē edidit; & nisi morte præuentus fuisset, alteram partem addicurus erat, in quam non minus multa & rariora remedia congeſſi. Præterea clarissimi, doctissimique medici quos honoris causa nominō, Ioannes Crato medicus Cæsareus, Adolphus Occo Adolphi F. Achilles P. Gasserus Augustani, & Ioannes Funcius Memmingensis & alij plures huius rei testes fide dignissimi se possunt, qui & exquisita remedia illi miserunt, & riciſſim⁹ eius benevolentiam in eodem studio ſepenumero experti sunt.

Judicium Imp.  
Ferdinandi de  
Gesnero.

Ob has igitur præclaras & excellentes virtutes cum singulari eruditione coniunctas, doctissimi quiquam viri eius amicitiam experiuerunt: nec aspernati sunt præstantissimi regū & principiū medicorum præceptorem vocare, & eum elogijs compluribus ornare, quæ ego nunc libens prætero. Veruntamen iudicium grauiſſimum Imp.

Imperatoris Ferdinandi sacratissimæ memorie, quod non multo ante obitum de Gesnero sapientissimum fecit, absque piaculo omittere non possum. Commendabant Gesnerum Maiestati Cæsarea singulari studio D. Iulius Alexandrinus & D. Ioannes Crato summi philosophi & excellentiissimi Cæsareae Maiestatis medici: atque illi tum imagines familiae & priuilegia, quibus lucubrations eius auctoritate Cæsarea communirentur, à sapientissimo Imperatore impetrarunt, perferente hoc ad Imperatorem Maiestatem viro amplissimo D. Marco Singmosero, Serenissimi Romanorum Imperatoris Secretario & consiliario Cæsareo. Ibi tum sapientissimus Imperator Ioannem Cratonem in prandio multis astantibus & præsertim clarissimis viris Cæsareae Maiestatis medicis D. Iulio Alexandrino & D. Stephano Laureo Amorfortio, & D. Ioanne Næuio, illustrissimi principis Electoris Saxonie archiatro, qui vna cum superioribus valetudinis Cæsaris curam gerebat, interrogauit num defacie Gesnerum noscet. Negabat ille aliter ac ex literis, & certorum hominum sermonibus cognitum, Cui Cæsar, Credas inquit (verba hæc sunt sacratissimi & sapientissimi Imperatoris) Gesnerus est tota probitas. Possem & alia virtutis eius testimonia proferre, sed hoc sapientissimi Imperatoris iudicium multorum loco esse poterit: & posteritas, cessante post obitum inuidia, ex scriptis ipsius non tantum de doctrina, sed vita & moribus rectius indicabit.

Nunc quoniam ea quæ de vita eius memoria prodenda esse visa sunt scriptissimus, de eius obitu pauca scribemus: qui quidem vitæ eius pè & innocenter actæ consentaneus fuit. Caperat apud nos superiori anno graffari pestis, quæ ciues multos, & inter ceteros eruditione clarissimum virum Theodorum Bibliandrum nobis abstulit: eo tempore iam tum sibi mortem præfigere Gesnerus noster cœpit: in somnis enim se à serpente morderi visus fuerat, hunc morsum pestem esse cum à somno euigilasset interpretabus est, & hoc suum somnum liceris mandauit.

Somnium de  
obitu.

CON. GESNERI PHILOSOPHI

Prefagitiones  
de morte.

*Ab eo tempore, et si dudum ante humana omnia meditata illi fuerint, tamen certius sibi exitum vitæ imminere coniiciebat, seque quotidie ad beatam felicemque migrationem preparabat. Extant in literis ad amicos complures huiusmodi verissime prefagitiones, testimonium pectoris pleni pietatis, ex quibus non nullas hoc loco inserere non pigebit: eas me non fingere testabantur viri clarissimi, qui literas ipsius manu exaratas habent, quas amicis pluribus legendas exhibuerunt. Superiori igitur proxima estate quinto Calendas Septembbris ad excellentissimum Cæsareæ Maiesstatis medicum Ioannem Craconom, in epistola rebus alijs omnibus relictis iam iam accedam: in quo καλαγηποσων & laboribus fractus velutique effactus, vel ipso in opere, vel paulò post ad meliorem vitam transiturus videor: & Deo gratias ago, qui mihi animum transiendi emigrandiisque sati promptum & alacrem dedit, quem ut spiritu suo confirmet & angeat oro. Scripsit deinde rursus hæc ad eundem 20. Octobris. Opus historiæ stirpium ex libris 260. concinnanda subiui: nec penitus me adhuc laboris quamvis immensi. Quod si Deus me ad meliorem vitam prius auocare voluerit, quam perfecero, sic quoque gratias illi agam. Præterea ad CL. V. D. Adolphum Oconomum Adolphi F. paulò ante obitum epistolam Graciam accuratè elaboratam scripsit in qua inter alias hæc quoque leguntur.*

*Αλιθὴς ὄντως φιλοσοφία, η̄ σοφία μᾶλλον ὡς κατ' ἀνθρωπον τὸ τέλος νοῦσου, εἰ τεῖσις ἄλλοις τὸ γέρενέρεσσων, η̄ τὸ καθ' ἡμᾶς μᾶλιστα, τὸν θάνατον λέγω, ἐτοις ὥστε η̄ ζῶσας πολὺ ωργήσειν ωργαστούσας οὐδὲν η̄ μᾶς. Η̄ διάνοιαν συνεχέσθαι διότε τοι μᾶς ιδίως, καὶ τὰ ἔνταῦθα κόσμια χωρίζοντας, οἵτε τῆς φύσεως, η̄ τῆς ὑπὲρ αὐτὴν ωργούσας μᾶλλον, ἐπειγόντες εὔμενῶς τε καὶ αναστίως ἐπειδαν. Εἰσὶ δὲ μακαρίαν η̄ τὸ θεον η̄ μῶν πίστιν τε η̄ ελπίδαν η̄ τυπτάς τε η̄ ματα πάντα, ἐπὶ τὸν οὐλιστὸν απάντων, η̄ μῶν ἡ̄ η̄ πατέρα, τὸν θεόντον σενάζεσσα διέτελεν.*

καὶ ἦν καὶ ταῦτα τὰ ἐπύλλια αὐτοχειρίζειν μοι ἐπῆλθεν  
Ευδαιμων πρῶτα μὲν δὲ θεοπελαταῖς ταῦτα νοίσας,

Εἰτα δέ γε ἐλπίζων, τὸ τείτον δόξις ἔχει.  
Τρισμάκαρ ὁ τριπατός: πρῶτος δὲ γένους φοτερίζει.

Οὐδὲν πισῆς ἐλπίδος δέσι μάκαρ.  
Πλείσια δὲ ἴννοέων διλαμότερος πέλεψίνθεν,

Αἰεὶ ἀπίσος ἐών, ἐλπίδος δεὶς αὖτος.

Ἐλπίς δὲ γένους ἀγαθῆς γηροειδός δέσι γλυκεῖα,

Καὶ φυγάδας βόσκει παρέστητος ἐλπίς εἴς.

Καὶ θανάτος δὲ ἀκμῇ πραδίλως μόνη ἐλπίς ἀγάλλει

Ανδρῶν σοεβέων ἀραινόφοιτον ἀπόθετον,

Νηπτυθέει τὸ ἀλυπόν τε, κακὸν ἐπήλινθον ἀπαντῶν,

Πνεύματος ἐξ ἀγίνης ταύτος ἐπαρδόμενον

Θαρρῶμάρ φύλος Αδολφεῖς μετ' ἡ πολὺ δὲ ἀμαρτινὸς ἀδελφοῖς

Ἐν χειρὶ πούνοις ἐλπίδος ἐσται ὑπερ.

*Ex his igitur præsagitionibus facile appareat, quam piè illo  
iamdudum beatam migrationem meditatus fuerit, & quam cer-  
to diuina quadam animi vi, mortem suam multò ante præui-  
derit. Etenim cum superiore hyeme pestis vim græstantem, apud  
nos euafisset, & eadem recrudescens, proximo autumno iterum  
clementius ageret, subito media fere hyeme inopinata vi morbi  
oppressus, & sicuti vaticinatus fuerat, è medio cursu laborum  
crepus, in felicem & sempiternam quietem translatus est.*

Dies erat nona Decembris, quando laborare cœpit, obiit de- Morbus Gé-  
neris  
cimateria, paulò ante medium noctem. Carbunculus illi primò  
excortus est, in latere sinistro cordi directè immensus: et si autem  
loco periculoſo natus esset, minus tamen periculi videbatur, quod  
nullum dolorem capit, nullam febrim, nullum aliud symptoma  
malum sentiret. Quinetiam vires eius morbo nihil ferè deiecit  
fuere, nunquam enim decubuit, nisi si quando se ita vestitus  
erat, in grabatum paululum reclinarerat. Veruntamen quia ple-  
nè quos morbus, hic inuadebat, moriebantur, quantumvis ab-

CON. GESNERI PHILOSOPHI

initio non magna vis morbi esse videretur, ipse quoq; sibi morionem  
 Testamentum. dum esse statuens, amicis conuocatis, testamentum condidit, &  
 quum quedam vxori, quedam nepotibus ex sorore legasset, heret  
 dom ex afe fecit sororem, quam adhuc solam habebat supersti  
 tem. Ne autem labores ipsius perirent, Bibliothecam suam om  
 nem, Casparo Vulpilio medico, iusto precio vendidit, & illis die  
 bus quibus ægrotabat, multa cum eo, & de plantarum historia,  
 & de alijs suis laboribus, quos illi commendabat, locutus est:  
 multa etiam illis diebus literis mandauit, ne qua posse obicitur.  
 Existimo autem hanc eius diligentiam, studiosis cognitu gratam  
 fore: nam cum liberos non haberet, pij animi fuit uxoris, sororis  
 & nepotum rationem habere, & quia lucubrations multas pub  
 licæ veilitatis causa suscepérat, sapienter & piè iam moriens po  
 steritati cōsuluit, suos fr̄tus immaturos commendans amico fide  
 li, docto, industrio, qui eos tandem perfectos in lucem daret.

Confessio  
fidei.

Cum autem Ecclesia ministri, frequenter illum accederent,  
 libenter illorum consolationes audiebat, & cum illis de beata spe  
 nobis in Christo proposita ex sacris literis colloquebatur. Pridie  
 verò antequam ex hac vita excederet, cum multa de rebus do  
 mesticis cum Henrico Bullingerō, quem summè amabat, colloqu  
 tus fuisset, tandem præclaram fidei sua Confessionem illo presen  
 te fecit, & graui oratione protestatus est, se paratum esse in hac  
 fide mori. Quinetiam cum ego illum cum cæteris nudiustertius  
 ante obitum inuisissim, inter alia dicebat, se quidem de vita  
 nondum desperare, si naturam spectet & vim morbi, attamen se  
 paratum esse & cupere etiam ex hac vita plena non tantum mi  
 serijs & calamitatibus, sed quod magis dolendum sit peccatis, in  
 illam beatam & corruptionis ac vitij expertem transtire.

Mors.

Quintus iam erat dies, ex quo ægrotare cœperat, cum mediū  
 non prorsus omnem spem abieciissent, plurimum tamen de vita  
 eius solicii essent, ipse verò sibi meliusculè habere videbatur:  
 itaq; cum amici quidam noctu illi adesse cuperent, & agrotani  
 assisteret,

assistere, gratias illis egit, sed eorum opera opus habere negabat.  
Et qui in vita multis commodus, molestus fuisset nemini, ne mor-  
bum quidem suum cuiquam præterquam sibi ipsi molestum esse,  
pariebatur. Deductus autem in cubiculum, in quo semper solitus  
erat quiescere, ancilla ynica præsente, fusis ardentissimis ad  
Deum precibus, se ad quietem composuit. Verum circa horam  
notis vndeclimam, cum animaduerteret vim morbi naturam  
superasse, vocata vxore, voluit reduci in suum Museum, in quo  
pridie sibi lectum sterni iuss erat, atq; paulo post, illic in manibus  
vxoris inter pias preces, leniter expirauit. Doluit morte eius  
urbis tota; itaq; magna frequentia funus eius postero die omnium  
ordinum homines deduxerunt, & eum in summi templi peristy-  
lio sepelierunt, iuxta Ioannis Fryssij sepulchrum, qui superiori  
anno ipsum præcesserat, ut post obitum eorum coniungerentur  
corpora, quorum animi semper fuere coniunctissimi. In eius vero  
locum, amplissimi senatus decreto subrogati sunt, Cl. medici  
Georgius Cellarius, & Caspar Vuolphius, qui nunc in  
schola nostra Philosophiam docent, & rem  
quoque medicam feliciter  
exercent.

# CONRADI GESNERI

PHILOSOPHIAE INTERPRETIS ET  
Medici Tigurini, De libris à se editis Epistola  
ad GUILIELMVM TVRNERVM  
Theologum & Medicum ex-  
cellentiss. in Anglia.

**V**ONIAM Scriptorum meorum hactenus à me editorum Catalogum à me petis, clarissime Tunc nere, en morem tibi gero: quod tua in me beneficia & amicitiae nostrae ius postulant: idq; eò facilius, vt eadem opera alijs quoq; viris eruditis, qui idem à me interdum à diuersis regionibus petere solent, gratificer. Quamobrem eriam typographo libellum permisi excudendum, vt si quis requirat in promptu habeam, nec sèpius eadem de re ad alios atque alios mihi scribendum sit posthac. Reperam autem omnia, quæ à iuueniente vel ipse condidi, vel ab alijs condita ad editionem promoui. In Bibliotheca nostra ante annos XVII. excusa, multa mearum lucubrationum desiderantur, posterius à me edita. In eiusdem verò compendijs, apud nos & Basileæ publicatis, quædam non recte posita sunt. Has ob causas hic simul omnes labores literarios meos, eo ferè ordine, quo deinceps & scripti à me & editi sunt, enumerabo.

1. Primum igitur circa annum Domini 1537. Lexicon Graecolatinum, quod iam ante à diuersis & innominatis nescio quibus satis miserè consarcinatum erat, ex Phauorini Cameris Lexico Graeco ita auxi, vt nihil in illo extaret, quod non vt singulari fide ac diligentia, ita labore maximo adijcerem: sed typographus me inscio, & præter omnem expectationem meam, exiguum duntaxat accessionis mee partem adiecit, reseruans sibi forte auctarium ad sequentes etiam editiones. Eodem paulo post, defuncto, meum exemplar recuperare non potui. Ab eo etiam tempore,

tempore in gratiam Henrici Petri Basiliensis Typographi, ter  
aut quater ex diuersis electionibus meis, idem volumen insigni  
accessione auxi, ita ut semper nominarem authores, à quibus fin-  
gula exceptissim, ut & authoritas maior esset, & orthographia  
minus corrumperetur: quod si alij etiam multi Lexicorum cor-  
ruptores potius quam authores, obseruassent, nō vsq. adeò aliquor  
millibus locorum corrupta hæc volumina hactenus in publicū pro-  
dissent, non solum Typographicis erratis passim innumeris ab-  
surdissimè referta, propter imperitiam illorum qui ad prælatorri  
gunt: sed ipsorum etiam authorum, quorum plurimos idcirco sua  
nomina profiteri puduit. Ultima quidem editio à me locupletata  
Basileæ nuper prodijt ex officina Hieronymi Curionis, anno  
1560. Septembri, in folio, chartis trecentis octoginta quatuor.  
Ceterum hoc anno, quo hæc scribo. 1562. Genevæ prodijisse audio  
longè copiosissimum emendatissimumq., Græcæ lingue Thesau-  
rum, à Rob. Constantino incomparabilis doctrina viro, ex Ioan.  
Crispini officina.

Medicaminum succiduorum (quæ Antiballomena Græci  
vocant) Galeno adscriptorum tabula Latinate donata, adiectis  
etiam Græcis multo castigatori bus, & annotationibus in quosof-  
dam locos. Eadem ex libris Discoridis, Aetij, & Pauli Aegineta  
passim excerpta, & in unum diligenter conscripta, subiec-  
tus. Chartæ sunt, quinq; cum dimidia, excusæ Basileæ in 8. cum  
Actuarij opere de compositione medicamentorum, apud Rob.  
Vinter. 1540.

Enchiridion historiæ plantarum, ordine alphabetico, ex Dio-  
scoride sumptis descriptionibus, & multis ex Theophrasto, Pli-  
nio, ac recentioribus Græcis additis; facultatibus autem ex Pau-  
lo Aegineta plerunq; quam breuißime adscriptis, &c. in gratiam  
medicine candidatorum, qui cognitionis stirpium causa rusticari  
interdum solent. Rob. Vinter imprimebat in 8. Basileæ anno  
1541. chartis nouendecim; & eodem anno Melchior Sessa Ve-  
nerijs in 16.

CON. GESNERI EPIST.

4. *Huic similem alium de cæteris simplicibus medicamentis libellum nondum edidi.*
5. *Compendium ex Actuarij Zacharia libris, de differentijs vrinarum, iudicijs, causis & præudentijs.*
6. *Vniuersalis doctrina Cl. Galeni Pergameni de compositione pharmacorum secundum locos affectos à capite ad calcem, particularibus medicamentis omisſis.*
7. *Symbola Galeni experimentorum ex libris eius collecta, & aliorum quorundam. Hosce tres libros, Christophorus Froschauerus Tigurinus typographus uno volumine coniunxit Tiguri 1541. in 8. chartis 24.*
8. *Apparatus & delectus simpliciū medicamentorum, ex Dioscoride & Mesuæo præcipue, alphabeti ordine, pharmacopolis maximè utilis liber.*
9. *Continentur autem eodem volumine, vniuersalia Pauli Aegineta præcepta de medicamentorum secundum genera compositione: & eiusdē argumenti omnia que in Galeni libris de compositione med. &c. vñ præcepta extant, multis superflue ditata, & particularibus pleriq[ue] compositionibus remotis, &c. Frelloij fratres excudebant Lugduni 1542. in 8. chartis 18. & dimid. & Venerijs fratres de Nicoliniis in 16.*
10. *Catalogus plantarum nomina Latinè, Græcè, Germaniè & Gallicè è regione proponens. secundum ordinem alphabeti. Latinis præeuntibus, vñ cum vulgaribus pharmacopolarum nomenclaturis, &c. His accedunt in calce operis Nomenclatura stirpium secundum varias gentes, Dioscoridi adscriptæ, in ordinem literarum digestæ. Liber impressus est Tiguri apud Froſchouerum, anno 1542. in 4. chartis 41. & dimid.*
11. *De syllogismis Compendium authoris incerti, è Græco translatum, excusum Basileæ in 8. chartis duabus & dimid. apud Ioan. Oporinum, cum Ioachimi Perionij lucubrationibus quibusdam in organum Aristotelis, anno 1542.*
12. *Moralis interpretatio errorum Ulyssis Homerici, authoris incerti.*

Commentatio Porphyrii philosophi de Nympharum antro 130  
in X IIII. libro Odyssæ Homericæ.

Apologie quedam pro Homero & arte poetica, fabula- 14.  
rum aliquot enarrationes ex Commentarijs Procli Lycij Dia-  
dochii philosophi Platonici in libros Platonis de republica: in  
quibus plurime de dijs fabulæ, non iuxta grammaticorum vul-  
gus historicè, physicè aut ethicè tractatur: sed theologicis (ut gen-  
tiles loquuntur) ex prima philosophia rationibus explanantur.  
Omnia per nos è Græco sermone conuersa, & euulgata Tiguri,  
1542. in 8. chartis 12. ex officina Froschouiana.

Porphyrii phylosophi quæstiones Homericæ. Pauli Silen-  
tiarij hemiambia, de thermis, & alia quedam ex Græcis eodem  
tempore, aut etiam postea à me conuersa, nondum in lucem exi-  
uerunt.

De lacte & operibus lactarijs libellus, philologus pariter ac  
medicus, cum epistola ad Iacobum Aueniū Glaronensem de mon-  
tium admiratione, excusus Tiguri 1543. in 8. char. 6. & dimid.

Ioan. Stobæi Collectanea sive Loci Communes C X X I I I . 17.  
ex omni genere authorum vetustissimorum Græcorum, cl. fere  
congesti, ex nostra interpretatione Latina, &c. His accesserunt  
opuscula tria, à nobis etiam primum Latinè edita: nempe Cyri  
Theodori dialogus de amicitia exilio senarijs iambicis. Opuscu-  
la duo Platoni adscriptæ, vnum de iusto, alterum, an virtus doce-  
ri posit. Omnia Græcè & Latinè è regione, Tiguri apud Fro-  
schouerum, cum duplice indice, uno rerum, altero authorum, an-  
no 1543. in folio, chartis 210. & iterum. Stobæi locis, cum ex  
manuscriptis exemplaribus, tum aliunde, auctis atque recogni-  
tis, anno 1550. & tertio, 1559. Eosdem locos Oporinus Basileæ  
editit Germanicè, Ge. Læto interprete, Audio & Antuerpiæ  
Latina nostra seorsim excusa esse absque Græcis. Noua editio  
valde aucta parata prælo apud me est.

Heraclidis Pontici Allegorie in Homerifabulas de dijs, &  
sermo Dionis de Homero Latinifacti, excusi Basileæ apud Ioan.

CON. GESNERI EPIST.

Oporinum, adiectis etiam eisdem Græcis, & alijs quibusdā rarijs  
ac elegantibus opusculis, anno 1544. in 8. chartis 14. & semijs.

19. Michaelis Ephesij Scholia in Aristotelis libellos, nempe:  
De iuuentute & senectute, vita & morte. De longitudine & bre-  
uitate vitæ. De diuinatione per somnum. Omnia ē Græco trans-  
lata, & impressa Basileæ in 8. 1541. chartis 6. & dimid. cum  
Nicolai Leonici explanatione in primum librum Aristotelis de  
partibus animalium, apud Vuesthemerum. & Venetijs 1545.  
in folio, cum Alexandri Aphrodis. commentarijs in librum Ari-  
stotelis de sensibus, Lucilio Philaltheo interprete.

20. M.V. Martialis poetæ Epigrammata (ad lingue Latine  
copiam, & varias rerum nomenclaturas utilissima) ab omni ver-  
borum obſcenitate, in adolescentium præcipue ſcholarumq. uſum  
expurgauit, & in locos circiter 86. digeffit. His adieci dialogos  
tres, quibus ratio huīus instituti redditur, & multa de puerilibus  
ſtudijs commemorantur. Et in fine Annotationes lac. Micylli.  
Froſchouerus cudebat Tiguri 1544. in 8. chartis 28.

21. Ambroſij Calepini dictionarium lingue Latine, quod anno  
1544. mense Septembri impressum eſt Basileæ apud Leonhart-  
um Hopſinianum, innumeris locis caſtigauimus: & ex poſtre-  
ma editione Venetijs publicata ad inſigne Sirenis, que ſupra  
quatuor millia vocabulorum ex probatissimis authoribus acce-  
ſiſſe gloriatur, omnia in noſtrum exemplar tranſtulimus: & pro-  
ſodia, id eſt, quantitatis ſyllabarum notas (plerumq. etiam ver-  
bus poetarum, quibus ea conſirmetur) nouo labore ſingulis dictio-  
nibus, qua ordine alphabeti explicantur, inscripsimus.

22. Ceterum nomina propria, ex quibus maxima pars Venetijs  
acceſſionis coſtabat, ſeorsim à Latinis vocabulis in peculiare al-  
phabetū partim proprio labore, partim iuuantibus amicis, digeffit  
ſunt, additi omnibus illis, quæ in poſtremis dictionarijs poetis  
coſtinebantur. Huic volumini titulu fecimus, Onomasticon nomi-  
num propriorū: quod tertio iam auctum & emendatum à nobis pro-  
diit, Basileæ ex Hier. Curionis officina. In ſecunda quidē editio-  
ne, que

ne quæcumq; Stephanus regius græmaticus Græcus propria locorum nomina habebat, Latine interpretatus adieci, & loca castigata innumera. Græca etiam nomina pôssim addita sunt. Ultima editio publicata est Basileæ 1560. in fol. Sunt autem Latinarum dictiorum chartæ cccxij. cum alias tum ex Pauli Manutij observationibus plurimum auctæ: Onomastici vero nostri priuatum chartæ lxxj.

In Lexicon Græcolatinum anno 1544. Basileæ excusum in 23  
4. de utilitate ac dignitate lingue Græcae præfati sumus.

Antonij Thyleſij Itali Consentini opuscula aliquot, partim 24  
iam prius diuerſis in locis, partim nunquam prius edita, tum styli Romana puritate, tum eruditione, varietate & lepore argumentorum, magno studioſorum applausu excipienda, Ioan. Oporino Basiliensi typographo dedi: qui ea publicauit 1545. in 8. charis vndecim. Ex his ligato sermone conditus est Imber aureus tractus: & poematis viij. soluto autem Commentarij duo, unus de coloribus, alter de coronarum generibus. Ab eo quidem tempore etiam alia quædam huius authoris poemata in Italia typis impressa nactus sum: quæ cum præcedentibus coniuncta denudo excusi optarim, ut tam elegantis scriptoris quæ extant omnia, uno volumine haberentur.

Bibliotheca vniuersalis, siue Catalogus omnium scriptorum locupletissimus, in tribus linguis, Latina, Græca & Hebraica: extantum & non extantium, veterum & recentiorum, vsque ad annum Domini M. D. L X V. doctorum & indoctorum, eiusorum & in Bibliothecis latentium: Opus nouum, & non Bibliothecis tantum publicis priuatissime instituendis necessarium, sed studiosis omnibus cuiuscunq; artis aut scientiæ, ad studia melius formâda utilissimum. Tiguri apud Froſchouerum 1545. in fol. charis 325. adiecto ad finem indice nominum vniuersorum, ut ea quorum prænomina forte lector ignorat, inuenire possit. Non solum autem singula authorum scripta hoc volume enumerantur, sed singulorum etiam librorum argumenta sèpius adscribuntur.

CON. GESNERI EPIS T.

sive ex ipsorum authorum præfationibus, ut simul etiam stylis aliis quod specimen præbeatur Lectori, sive aliter: & super multis Censura doctorum hominum, & alia quadam, quæ in Compendijs potesta excusis, non meo quidem consilio omissa sunt, poterant enim breuius quidem exponi, non tamen prorsus omitti. Sed suum plenum lucrum spectant typographi, potius quam vel authorum voluntatem, vel virilitatem Lectorum solidam. In Compendijs quidem illis postea impressis, permulta authorum nomina nostra, recentiorum præsertim, accesserunt: sed omnis illa accessio seorsim etiam à Froschouero nostro excusa est, ut qui primam editionem emerunt, aut deinceps etiam empturi sunt, fructu illo non frustrentur.

- 26 Sententiarum, sive Capitū, Theologicorū præcipue, ex sacris & profanis libris Græcis collectorum digestorumq; in Locos communes, per Antoniū & Maximū monachos, Tomi tres, Antonij loci Melissainscripti, inq; duos Tomos diuersi, numero sunt 175.
- 27 Maximi verò 71. Tomo uno comprehensi.
- 28 Abbae Maximi, philosophi, confessoris & martyris, Aphorismorum seu Capitum de perfecta charitate & alijs virtutibus Christianis, Centuriæ 4.
- 29 Theophili sexti Antiochenensis episcopi, de Deo & fide Christi norum contra gentes Institutionum libri tres ad Autolycum.
- 30 Tatiani Assyrij, Iustini martyris discipuli, Oratio cōtra Graecos. Hæc omnia (quinq; diuersorum authorum volumina) mea cura ex codicibus manuscriptis transcripta, & meo labore emendata, ante & ad prælum, (præter Maximi Centurias prius excusas, nūc quidem castigatores,) Froschouerus Græce exudit Ti guri 1546. in fol. chartis 73.
- 31 Et rursus eadem omnia in Latinum sermonem conuersa, eodem anno, in folio chartis 99. Ex his primam partē Melisse Antonij ego interpretatus sum: & Tatiani Orationem, cui & annotationes adieci. Secundā verò Melisse partē, & Maximi Locos Joan. Ribittus Sabaudus Latina fecit. Maximi Centurias, Vt<sup>o</sup> editio

centius Opsopœus: Theophili Institutiones, Conradus Clauſeruſ.

Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum 32  
G aluum bonam facientium, ordine alphabeti, excusa in 4. Ba-

silea in officina Frobeniana anno 1546. cum Antonij Musæ li-  
bello de catapotis.

Naturalis scientiæ totius Compendium, ex Aristotelicis a- 33  
lijsq; libris ab Hermolao Barbaro patricio Veneto confectum, &  
in Italia impressum mendosissimè, quoad eius potui, repurgatum  
Ioanni Oporino tradidi, è cuius officina prodiuit chartis octo in 8.  
anno 1548. quibus ille adiecit Hieronymi Vuidenbergij Auri-  
montani in plerosque Aristotelis physicorum libros Epitomen,  
chartis vndeſcim.

Pandectarum ſive partitionum univerſalium, qui ſecundus 34  
Tomus Bibliothecæ noſtræ eſt, libri nouendecim. excusi Tiguri  
apud Froſchouerum in folio. 1548. chartis 191. In hiſ libris om-  
niū, qui in primo Bibliothecæ tomo nominantur authorum, &  
plurimorum in ſuper aliorum ſcripta, nō alphabetico ordine vt in  
primo tomo, ſed ſecondum artium & ſcientiarum genera per cer-  
tas clafes & locos communes enumerantur: non titulis modò li-  
brorum memoratis, ſed capitulo etiam in ſcriptionibus, & par-  
ticularibus plurimorum librorum argumentis. Librorum in-  
ſcriptiones hæ ſunt: 1. De grammatica & philologia. 2. De  
dialectica. 3. De rhetorica. 4. De poētica. 5. De arith-  
metica. 6. De geometria, opticis & catoptricis. 7. De mu-  
ſica. 8. De astronomia. 9. De astrologia. 10. De diuinatio-  
ne cum licita, tum illicta, & magia. 11. De geographia. 12.  
De hiftorijs. 13. De diuersis artibus illiteratis. 14. De na-  
turali philoſophia, & theologia gentilium. 15. De prima philoſo-  
phia ſeu metaphysicis. 16. De morali philoſophia. 17. De econo-  
mica philoſophia. 18. De re politica, id eſc, ciuili & militari.  
19. De iurifprudentia. His liber viceſimus ſubiungendus erat  
erat de re medica, quem certas ob causas reliqui, & ne hac tenuis  
quidem absolui, quamvis materia ſatis copioſa mihi ſit congeſta.

CON. GESNERI EPIST.

- 35 Pandectarum, hoc est, secundi tomi Bibliothecæ liber xxij.  
sive ultimus, De theologia Christiana, seorsim cusus ibidem, in  
fol 1459. chartis 90. Et autem is liber veluti index per locos  
digestus in plerosq; veterum & recentiorum theologorum libros,  
hoc est, librorum titulos & capita ferè, &c. Ex chartis nonagin  
ta, quibus constat, postrema septem continent Indicem alphabeti  
cum, huic de theologia libro & superioribus nouendecim communie  
36 Cl. Galeni librorum editioni Latinæ, quæ publicata est Ba  
silie in officina Frobeniana, ex Iani Cornarij recognitione anno  
1549. capitum distinctionem & argumenta in plerosque libros,  
ab initijs singulorum, adieci: quæ in multis (ijs præserum, qui rei  
medica tyronibus præcipue necessarij lectu sunt) ita copiose ac me  
thodice tractantur, ut vel Epitomes aphoristicae instar habent  
possint.
- 37 Historia animalium liber primus, qui est de quadrupedibus  
viuiparis, cum figuris ad viuum expressis: opus philosophis, medi  
cis, grāmaticis, philologis, poetis, & omnibus rerum, linguarum  
que variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimum, fuit  
rum: in quo non modò simplex animalium historia continetur,  
sed etiam veluti commentarij locupletissimi, & castigationes plus  
rimæ in veterum ac recentiorum eiusdem argumenti, quæ videre  
nobis licuit omnia, ex authoribus ferè ducētis quinquaginta, &c.  
Ita digestis commodo perpetuoq; ordine omnibus, ut quicquid de  
ynoquoque animali cognoscere libuerit, nullo negocio statim inue  
niatur. Neque enim ad continuam lectionem à nobis hec condita  
sunt, sed ut eorum qui Dictionariorum esse solet, ad inquirendum  
maxime, vsus sit: quod non intellexerunt, qui prolixitatis in hoc  
opere nos accusarunt. In sequentibus quidem animalium libris,  
minus prolixus fui, hoc est, in philologia parciōr. Hoc volumen  
in Epitomen contraxit, philologia omni omissa, excellens doctrī  
na & virtute medicus Laurentius Hiel, in illustri Academia  
Genensi hoc tempore professor: idem fortè facturus in reliquis e  
tiam nostris de animalibus libris, ut aliquando coniuncti publi  
centur.

ceneur. In Germanicum verò sermonem simili compendio trans-  
stulit hunc & secundum de quadrupedibus ouiparis, Conradus  
Vitoduranus medicus, nunc etiam ecclesie minister: & similiter  
de aquatilibus volumen.

Aiunum verò historiam Germanicam fecit, Rodolphus Husli-

nus, que iam excusa est anno 1548. chartis 87.

Ithesaurus Euonymi Philiatri de remedij secretis, (voco 38

autem secreta, in quibus pars purior & tenuior, ab impuriore

crassioreque secernitar, arte,) liber physicus, medicus, & partim

etiam chymicus, & economicus in vinorum diuersi saporis appa-

raru, medicis & pharmacopolis omnibus præcipue necessarius, im-

pressus Tiguri apud Andream Gesnerum F. in 8. chartis 39.

anno 1558. Agit autem præcipue de artificiois aquarum & o-

leorum destillationibus siue extractionibus, ex herbis alijs & sim-

plicibus medicamentis. Secunda eius editio prodiuit anno 1558.

adiectis quibusdam instrumentorum destillatoriorum figuris, &

novo Iacobi Bessoni libello, de absoluta ratione extrahendi olea

& aquas è medicamentis simplicibus. Hunc librum cum in gra-

tiam Andree Gesneri patruelis mei, noui tum typographi, im-

maturum ederem, nomen meum addere nolui. Nunc quoniam &

magni studiorum rei medicæ applausu eum exceptum video, &

aliquando absolutorem dare cogito, si Deus vitam dederit: me

eius authorem esse dissimulare amplius nolui, praesertim cum iam

viri quidam eruditii id deprehenderint. Ex eadem officina Ger-

manicus etiam euulgatus est, Rodolpho Landebergero nostro (ec-

clesie Bulaci diacono in agro Tigurino) interprete. Et Latinè

in 16. Lugduni: ibidemq; nisi fallor, Gallice.

Veterum aliquot theologorum Graecorum orthodoxorum li-

bri Graci, & iudem Latinitate donati e regione: quorum pleriq;

partim Latine, partim Græcè antehac non sunt editi, nostra ple-

rig cura excusi, Tiguri apud Andream patruellem anno 1552.

in fol. chartis 104. Sunt autem hi: Canones Apostolorum, & ve-

terum tredecim sanctorum conciliorum decreta, à Clemente Ro-

CON. GESNERI EPIST.

mano, ut quidam putant, versi & collecti, &c. Ignatij martyris  
& archiepiscopi Antiocheni, epistolæ duodecim, Io. Brunnero  
Tigurino interprete. Athenagoræ Atheniensis philosophi Christiani  
Apologia, vel Legatio pro Christianis, ex nostra interpretatione  
cum annotationibus nostris. Eiusdem de mortuorum resurrec-  
tione liber, Petro Nannio interprete, cum Hen. Stephanus ty-  
pographi doctissimi (qui hos duos Athenagoræ libellos seorsim  
prius excudit Geneuae) in Græcum simul contextum & Nan-  
nij versionem Annotationibus. Aeneæ Gazæi Platonici Theophrastus,  
sive de animarum immortalitate & corporam resur-  
rectione dialogus, Ioan. Volphio ecclesiae Tigurinae ministro in-  
terprete. Cydonij de contemnenda morte oratio, Raphae-  
le Seilero I. C. Augustano interprete. Hermæ philosophi tra-  
nsitio gentilium philosophorum, eodem interprete. Expositio ca-  
pitum admonitoriorum Agapeti diaconi ad Justinianum impe-  
ratorem, innominato interprete. Ex his ego suppeditauit Aeneæ  
Gazæi Platonici Theophrastum, ex nobili reipub. Augustana  
Bibliotheca nactus: & Ignatij epistolas, quas Lutetie paulò ante  
Græce excusas ignorabam.

40 In Hieronymi Tragi de stirpibus Commentarios Argentini  
excusos apud Rihelium anno 1552. prefationem adieci in gra-  
tiam typographi, quæ continet Catalogum rei herbaria scriptorum,  
qui ad illud usq; tempus aliquid ediderunt, extantium & non ex-  
tantium, &c. satis copiosam, chartis circiter tribus.

41 De thermis & fontibus medicatis Helvetiæ & Germanie li-  
bri duo, excusi Venetijs in officina Iuntarum, anno 1553, in foli-  
chartis quinq; cum quadrante, cum permultis aliorum libris, qui  
thermas Italiae descripsérunt. Ab eo autem tempore, quoniam  
plurima obseruavi, quibus hoc argumentum plenius illustrem  
spero me breui eundem librum auctum & recognitum seorsim  
editurum.

42 Tabulae Collectionum, quibus per singulos anni menses, qua  
stirpes in singulis per Germaniam flores fructus que ut plurimum pro-

Proferat, ordine recensetur, Argentinae à Rihelio impressæ 1553. in 8. chartis quinque cum quadrante, cum Davidis Kyberi sum mi amici mei, rei herbaria Lexico: quod dum sub prælo esset, eodē anno, mense Ianuario, optimus & doctissimus vir peste sublatus obiit, mihi verò iam morti proximus quæ excudenda supererat, ut ante prælum inspicerem ac emendarem commendari voluit, &c. itaq; & præfationem in illum librum, & in authoris mortem Idyl lum lugubre Græcum oīdidi.

Icones animalium quadrupedum viiparorum & ouiparo-  
rum, que primo & secundo historiæ animalium libris à nobis de-  
scribuntur, cum nomenclaturis singulorum Latinis, Italicis, Gal-  
licis, & Germanicis plerunque percertos ordines digestæ. Tiguri  
procudebat Froschouerus 1553. in fol. chartis septendecim: &  
rursus auctas ac recognitas tum alias tum multis descriptioni-  
bus & iconibus additis, que in historiarum libris non habentur,  
anno 1560. chartis triginta duabus. Ligari autem debent cum se-  
quentibus animalium iconibus.

Historiæ quadrupedum ouiparorum liber, id est, secundus de  
animalibus, cum Appendice ad quadrupedes viiparas, anno  
1554. ibidem excusus in fol. chartis triginta septem. Et quia  
parvus est, commode uno volumine cum historia avium, id est,  
tertio de animalibus libro ligabitur.

Historiæ avium liber, (qui est tertius de animalibus) cum fi-  
guris, ex eadem officina, anno 1555. chartis quatuor supra ducen-  
tas. In fine adduntur Paralipomena.

Icones avium omnium, quæ in nostra avium historia descri-  
buntur cum nomenclaturis singularum in linguis diuersis Euro-  
pe: ibidem euulgatæ anno 1555. in fol. chartis triginta tribus.  
Et rursus anno 1560. nouis aliquot iconibus ac descriptionibus  
auctæ & recognitæ, chartis triginta septem. In eam editionem e-  
mendationes & additiones aliquot conieci ad finem Iconum qua-  
drupedum secundæ editionis.

De medicina chirurgica præstantia & antiquitate scriptum 47

CON. GESNERI EPIS.

nostrum, & Enumerationem alphabeticam virorum illustrium  
qui rem chirurgicam vel scriptis vel artis ysu excoluerunt. Ges-  
neri fratres duo (patruelles mei) Tiguri publicarunt, chartis se-  
pem & dimidia ferè, in volumine satis magno, quo diuersos chi-  
rurgia & scriptores, mea ferè cura, complexi sunt.

48 De raris & admirandis herbis, que siue quòd noctu luceant,  
sive alias ob causas, Lunaria nominantur, Commentariolus: &  
obiter de alijs etiam rebus quæ in tenebris lucent. Inseruntur &  
nouæ quædam herbarum icones.

49 Descriptio montis Fracti siue Pilati vulgo dicti, iuxta Lucet  
nā in Heluetia. Patruelles mei imprimebant Tiguri an. 1555. in  
4. vna cum Ioan. du Choul. G. F. Lugdunensis, Pilati montis in  
Gallia descriptione: & Ioā. Rhellicani Idyllio, quo Scocchorum  
montem altissimum in Bernensem Heluetiorum agro versum  
heroicis describit. Chartæ sunt omnium duodecim cum dimidia.

50 Epitome Bibliothecæ nostræ tomij primi, à Conrado Lycosthe-  
ne Rubeaquensi edita primum Basileæ, per Iosiam Simlerum Ti-  
gurinum recognita & aucta, plus quam bis mille authorum ac-  
cessione, excusa Tiguri apud Froeschouerum in fol. 1555. chartis  
105. Ad eam quidem augendam nos quoq; collectanea nostra con-  
tulimus, &c. Huius Epitomes accessio, appendix primi tomij fu-  
turus, seorsim etiam impressa est, ut supra diximus. Rob. Constan-  
tinus Gallus etiam Lutetiae edidit Nomenclatorem scriptorum  
insignium, qui veluti Epitome breuissima utilissimaq; Bibliothecæ  
nostræ est: ubi optimos quoq; veteres & recentiores scriptores  
nominat, extantes dunt axat, manuscriptos vel impressos, secun-  
dum genera artium & scientiarum digesto libro, &c. Eum An-  
dreas V uechelus Parisijs excudit 1555. in 8. chartis duodecim.

51 Mithridates, siue de differentijs linguarum, cum veterum,  
tum quæ hodie apud diuersas nationes in toto orbe terrarum in  
ysu sunt, observationes, typis Froeschoueri excusa Tiguri 1555.  
in 8. chartis decem, cum tabula quæ orationem dominicam in plu-  
rimis linguis scriptam proponit.

Libellis

Libelli tres medicinales: *Vnus, De sanitate tuenda: Alter, 52.*  
*Contra luxum conuiuiorum: Tertius, Contra notas astrologicas Ephemeridum de secundis venis. Sesquicharta à patruelibus impressa 1556. in 8.*

*Cl. Aelianus Prænestini Pontificis & sophistæ, qui Romæ sub Imperatore Antonino Pio vixit, Meliglossus aut Meliphthonus ab orationis suavitate cognominatus, monumenta quæ extant omnia Græcè, Latineq; è regione, cura & opera nostra in lucem edita. Sunt autem hæc: De animalium natura libri XVII. ex Petri Gillij Galli & nostra interpretatione, ad Græcos codices manuscriptos recogniti, & tertia ferè parte ex ijsdem per nos audi, Græcè quidem prius antehac non excusi. Variæ historiae libri XIII II. Iusto Vulteo Vuetterano interprete, nunc etiam recogniti, De militaribus ordinibus instituendis more Græcorum Liber I. à Fr. Robortello Viuenzi in Latinum sermonem versus, & ab eodem picturis quam plurimis illustratus, nunc de novo emendatior. Epistolæ rusticane, Sebastiano Guldebeccio Tigurino interprete. Omnia Tiguri apud patruelles meos anno 1556. in fol. chartis centum septuaginta sex.*

*De piscibus & aquatilibus omnibus libelli tres. 54.*  
 1. Halieuticon P. Ouidij Nasonis emendatum & scholijs illustratum.

2. Aquarilium animantium Enumeratio iuxta Plinium, 55.  
 emendata & explicata, serie literarum.

3. Eorundem Nomenclator Germanicus longè copiosissimus. Et alia quadam ad piscium historiam pertinentia. Andreas Gesnerus F. excudebat Tiguri 1556. in 8. chartis 18. 56.

*De stirpium aliquot nominibus vetustis ac nouis, ut sunt Mamirás, Moly, Oloconitis, Doronicum, Bulbocastanum, Gramum alzelin vel Habbaziz, & alia complura, Epistolæ due: una Melchioris Guilandini Borussi; & altera nostra, cum nouis iconibus tribus. Chartæ sunt tres excusæ Basileæ apud Nic. Episcopium F. 1557. in 8, & rursus cum epist. Matthioli Senensis.*

CON. GESNERI EPIST.

58. *M. Antonini Imperatoris Romani & philosophi de seipso seu vita sua libros XII. vna cum Marini Neapolitani libro de Procli vita & felicitate, Græcos è bibliotheca illustrissimi Principis Orthonis Henrici, cum vir doctrina excellens Michael Toxites nobis communicasset, describendos curauit, & ad archetypum contulii, & patrueli Andreae anno 1558. cuditendos dedi, vna cum translationibus Latinis, in Antonini quidem libros Gul. Xylandri Augustani: in Marini verò Proclum, amici cuiusdam nostri iuuenis pererudit, qui præ modestia nomen suum exprimi noluit. Chartæ sunt triginta in 8.*
59. *Historia animalium liber quartus, qui est de piscibus & aquatilibus, cum iconibus, procusus Tiguri à Froschouero 1558. in fol. chartis trecentis & triginta quinq. Ad finem Paralipomena quædam accesserunt. Continentur autem eodem volumine Gul. Rondeletij quoque & Petri Bellonij de Aquatilibus singulis scripta.*
60. *Hannonis Carthaginem ducis Nauigatio, qua maximam Libycæ oræ partem ultra Herculis columnas lustravit, è Græco sermone in Latinum conuersa, adiecit etiam scholijs. Sesquicharta impressa Tiguri apud Andream Gesnerum F. anno 1559. cum Io. Leonis Africani Descriptionis Africae libris nouem, in 8.*
61. *Xenocratis de alimento ex aquatilibus libellus Græcus nostra opera editus, idemq. Latinus ex nostra interpretatione, vna cum scholijs. Chartæ sunt quatuor cum dimidia, procusæ Tiguri apud Andream patruelem in 8. vna cum Iani Dubrauij Olmencensis Episcopi, De piscinis & piscium qui in eis aluntur natura libris quinq.*
62. *Icones animalium aquatilium in mari & dulcibus aquis degentium, plusquam DCC. cum nomenclaturis singulorum Latinis, Græcis, Italicis, Hispanicis, Gallicis, alijsq. interdum. Explicantur autem singulorum nomina ac nominum rationes, præterim in Latina & Græca lingua yberrime: & nominis conformatio-*

ſirmandorum causa deſcriptiones quorundam, & alia quadam  
præſertim in magno noſtro De aquatilibus volumine non tradi-  
ta, adduntur: deq; ſingulis Rondeletij, Bellonij, Saluiani, & no-  
ſtra ſententia explicantur breuiſſime. Froſchoueruſ cudebat Ti-  
guri 1560. in fol. chartis 101. Hoc monenduſ eſt Lector, tres li-  
broſ, quibus continentur Icones Quadrupedum, Avium &  
Aquatilium, commode uno volumine ligari.

Hiftoria & interpretatio prodigiij, quo cœlum ardere viſum  
eſt per plurimas Germania regioſes, in eunte anno 1561. die ter-  
tiæ a Natali Dominico: deq; alijs quibusdam prodigijs veteribus  
ac nouis. Chartæ ſunt treſ impressæ apud nos eodem anno in 8.  
Conradi Bolouefi authoris nomine, meum enim non ponere place-  
bat, ne quis furorem ultra crepidam mihi obijceret. Placuit hæc  
interpretatio Angliſ, qui ſua lingua eam ediderunt. Amicus qui  
dam hic Germanicè reddidit, ſed nondum edidit.

Dictionarium Germanicola latinum noſtra adhortatione co-  
piofſimum Iofua Pictoriuſ noſter confeſcit, excuſum Tiguri à  
Froſchouero in 4. anno 1561. cum noſtra præfatione, in qua de lin-  
guo Germanica in vniuerſum, eiusq; dialeciſis, & quam latè pa-  
teat; quid ei cum Gotthica & Gallica commune: deq; antiquis ac  
recentibus in ea ſcriptis, & illuſtranda eius ratione differimus,  
per ſequi chartam ferè.

Valerij Cordi Simesuſij Annotationes in Pedaciſ Dioscori-  
di Anazarbei de medica materia libroſ quinq;, longè alie quam  
ante hac ſunt euulgatae.

Eiusdem Hiftoriaſ stirpium libri quatuor, nunc primū in  
lucem editi, adiectis etiam stirpium iconibus, & breuiſſimiſ An-  
notatiunculis.

Eiusdem Sylua, qua rerum foſſiliuſ in Germania pluri-  
marum, Metallorum, Lapidum & stirpium aliquot rariorū  
notitiam breuiſſimè persequitur.

Eiusdem de artificiis extractionib; liber.

Eiusdem Compositiones medicinales aliquot, non vulgares.

CON. GESNERI EPIST.

His accedunt.

*Stocchornij & Nessi in Bernatum Heluetiorum ditione  
montium, & nascentium in eis stirpium, descriptio Benedicti Are-  
tij professoris in Schola Bernensi.*

66. 67. *Descriptiones & icones quædam plantarum nostræ, & De-  
bortis Germaniae liber à me tum recens conscriptus. Hæc omnia  
typographo Argentinensi Iosia Rihelio suppeditauit, anno 1561.  
qui ea publicauit in fol. chartis trecentis ac tribus. Hortorum  
Germaniae priuatum chartæ sunt XXXII.*
68. *Prolegomena in opera Galeni, Latina, que hoc anno 1562.  
Basileæ prodeunt, ex ultima doctissimorum hominum recognicio  
ne, &c. Chartæ sunt sedecim cum quadrante in magno fol.*
69. *Cassij iatrosophistæ naturales & medicinales questiones  
LXXXIII. circa hominis naturam & morbos aliquos, ex  
nostra interpretatione Latina. Eadem Græcè longè quam ante  
hac castigatione cum scholijs nostris. Iacobus Gesnerius imprimi-  
bat Tiguri 1562. in 8. chartis nouem cum dimidia: una cum  
Ant. Sneebergeri medici Catalogo medicamentorum simplicium  
pestilentia veneno aduersantium.*
70. *Santis Ardoyni Pisaurenensis medici de venenis libri octo.  
cum tribus eiusdem argumenti Ferdinandi Ponzetti Cardina-  
lis, excusi Basileæ apud Henricum Petri, & Perrum Pernam,  
1562. in fol. Veriusq; authoris codicem ante annos quadraginta.  
aut amplius retrò excusum, typographis ego suppeditauit: cum in  
nullis amplius bibliopolijs prostarent.*
71. *Aristotelis libellum de virtutibus à me translatum, paſſim  
Stobæi Collectaneis Græcè & Latinè inseruit; sicut & Theophras-  
ti characteres, Græco contextu & Politiani translatione, quoad  
eius potui, emendatis.*
72. *His ultimus hoc tempore adnumeretur, præsens hic descri-  
ptis tum proprijs, tum aliorum à me editis.  
Ex his hactenus impressis lucubrationibus nostris. pleraq;  
olim, si vixero, & iterum edi ea contingat, aucta & emendata  
dabo.*

DE

Denondu*m* editis, partim perfectis, partim  
imperfectis adhuc.

*Versabar hoc tempore in adornanda nostra stirpium historia,* 1.  
*eu*n*s materiali*m* uberrimam & picturas quam plurimas, permul-*  
*tis re*r*er*o* annis congerere c*o*p*i*. Ab ea vero multa subinde occupa-*  
*tiones necessaria*c*, multa etiam ex improviso impedimenta me-*  
*auocant.*

Nuper quidem doctissimo typographorum Hen. Stephano,  
Xenophontis de venatione libellum, ab Omnibono Leoniceno mi-  
nime bene conuersum, in eius gratiam ut emendarem roganti,  
obsecundare volui: & spero translationem illam cum Scholijs for-  
e*n*ostris, inter cetera Xenophontis opera Latina ex eius offici-  
na propediem apparitura, vna cum nostris in eundem librum ob-  
seruationibus & emendationibus Graci contextus.

Alcerum impedimentum immatura doctissimi Augustani 3.  
medici Ioan. Moibani mors mihi attulit: qui nuper suo faro fun-  
gens, amicis mandauit ut conuerzionem suam & annotationes  
in Euporistion Dioscoridis Anazarbei libros duos, nusquam  
ante hac editos, imperfectas ad me mitterent: quas ego propter  
amicitiam qua nobis viuentibus intercessit, ipsius nomine perfi-  
cerem ederem*q*: id quod e*ò* facilius suscep*i*, quoni*a* & illum ama-  
ui plurimum, & libros illos Gracos Senatus Augustani liberali-  
tate iamdudum transcriptos habui, inq*ij* ijs interdum animi gra-  
tia me exercui.

Nuper etiam Val. Cordi Descriptionis stirpium librum 4.  
quintum sum natus, quem in Italia confec*i*: eum*q* perle*ct*um  
Argentinam ad Rihelium typograbum, ut mature excederet,  
misi.

Oppiani de aucupio librorum paraphrasim, quam Venetijs 5.  
olim mihi describendam curau*i*, Graciam Latinitate donau*i*, &  
nostr*e* animalium historia*c*, passim inserui: editurus etiam seorsim  
si occasio fuerit, cum alijs quibusdam Graci, de animalibus  
scriptis, &c.

C O N . G E S N E R I E P I S T .

6. Moschionis medici Græci de affectibus muliebribus librum ex bibliothecæ Augustanae exemplari, quod unicum & corruptissimum habere haec tenus potui, descripsi & emendaui, editurus per occasionem, vel Græcæ Latineq; simul, vel saltem Latinè, yna cum Prisciani & Cleopatræ Gynæcijs, quæ manuscripta habeo.
7. Procopij Gazæ in Octateuchum (id est, priores octo veris Testamenti libros) Commentarios Græcos, copiosos sanè & eruditos, ex eadem bibliotheca nactus ante annos aliquot, transcribendos curavi, & Con. Clauzero conuertendos dedi, ubi primum typographus contigerit, Græcè etiam editurus.
8. De canibus Io. Caij Angli medici & philosophi summi libellus, cum nostris quibusdam additionibus, vel per se, vel cum alio quopiâ ad animalia pertinente libro edendus, apud me afferuantur.
9. 10. Serpentium & insectorum historiae materiam copiosam, & picturas ad viuum factas multas congreſſi.
11. Tabulas in plerosq; omnes naturalis philosophia, secundum Aristotelem libros, dilucidas & copiosas confeci.
12. De lapidibus, gemmis & omni fossilium genere Observatorium syluum collegi.
13. Remediorum secundum genera & locos digestorum, maximum numerum in schedis reposui.
14. In Aristotelis quosdam libros physici argumenti, paraphrases aut scholia in alias Græcè, in alias Latine, ex Græcorum interpretum commentarijs concinnaui.
15. Admirandas Aristotelis narrationes emendaui, & meliori ordine digesti, Græcè.
16. Latina quedam & Græca, carmina, epigrammata, idyllia, conscripti.
17. Germanicorum nominum proprietatum, virorum & mulierum, (quibus usus est Germania, antequam sanctorum nominis ex linguis peregrinis recipereret,) aliquot millia secundū terminations disposita habeo. Apparet autem in singulis penè certa aliqua significatio, ut vel omnis gratia, vel saltem non temere sed certam

certam ob causam imposta videantur, sicut & apud Græcos ferè, Nihil autem antiquius in nostra lingua, & unde, qualis ante multa secula fuerit, magis appareat, extare puto.

Germanicorum vocabulorum quām plurimorum ex Hebrai ea, Græca & Latina, origines meditor. 18.

Et alia quadam, si Deus concesserit, sed, ut res humanæ sunt, Non ad mea, sed ad hanc etiam lucubrationes meas. Volui tamen etiam nondum editas & imperfectas lucubrationes meas commemorare, partim, ut viri boni ac eruditii, me, dum vixero, nunquam ociosum futurum, meq; & mea omnia reipub. literariæ promouendæ perpetuò deuotissima fore intelligent: partim, ut si quietate ac valetudine firmiores & ocio magis abundantes homines literati, similiter erga bona studia atq; ego affecti, reperiantur, ij de rudibus atq; inchoatis quibusdam meis materiam sibi expoliendam, per facilem impetraturi postulare à me possint.

Vale Turnere doctissimè, mei subinde memor, cùm alias, tum in tuis erga Deum O. M. precibus, sicut ego etiam tui sum. Tiguri quinto Kal. Septemb. Anno M. D. L XII.

## COROLLARIVM.

Enchiridion rei medicæ triplicis. Illius primum quæ signa ex pulsibus & vrinis dijudicat. Deinde Therapeutica de omni morborum genere curando singillatim. Tertiò Diætética vel de ratione vicius, præsertim in febribus. Hoc volumine continentur.

De pulsibus libellus, ex Galeni libris collectus ac veluti in formulam redactus, authore quidem incerto, sed diligentissimo doctissimoq;.

De iudicij vrinarū tractatus ex probatissimis collectus auctoribus, & in tabulæ formam confessus, adiectis etiā causis, quæ hanc vel illam vrinam reddant, Io. Vasseo Meldensi authore.

Morborum internorum propè omnium curatio, breui methodo comprehensa, ex Galeno præcipue & Marco Gattinaria, porlac. Sylvium medicum selecta.

C O N . G E S N E R I E P I S T .

*De ratione virtutis in febribus secundum Hippocratem, in genere & singillatim libri III, authore Brudo Lusitano medico.*  
*Prefatio Conradi Gesneri ad Achillem P. Gassarum me dicum.*

*Liber impressus Tiguri per Andream Gesnerum F. & Jacobum Gesnerum fratres, anno 1555. in 8. chartis 59. semis.*

*C. Gesneri, De anima liber sententiosa breuitate, velut per tabulas & aphorismos ut plurimum conscriptus, philosophia & medicina studiois accommodatus. Impressus Tiguri apud Iacobum Gesnerum, anno 1563. in 8. chartis 15.*

*De omni rerum fossili genere, gemmis, lapidibus, metallis, & huiusmodi, libri aliquot pleriq. nunc primum editi.*

*Io. Kentmanni Dresdensis medici Nomenclatura rerum fossili, quæ in Misnia præcipue, & alijs quoq. regionibus inueniuntur.*

*Eiusdem, Calculorum qui in corpore ac membris hominum innascuntur genera 12. depicta descriptaque cum historijs.*

*De Metallicis rebus ac nominibus, observationes variae ex Schedio Georgij Fabricij.*

*Seuerini Goebelij medici de Succino libri II. prior Theologicus, posterior physicus & medicus: cum Corollario Gesneri.*

*Valerij Cordi de Halosantho seu spermato Ceti liber, cum Corollario C. Gesneri.*

*S. Epiphanij Episcopi Cypri, de duodecim gemmis que erant in vestie Aaronis, liber Græcus & Latinus, cum Corollario C. Gesneri.*

*Fr. Ruei medici Insulani, de Gemmis aliquot, ijs praesertim, quarum Ioannes in Apocalypsi meminit, & alijs quarum usus hodie apud omnes percrebuit, libri duo: Theologis non minus utilis quam philosophis.*

*C. Gesneri, de rerum fossili, lapidum & gemmarum maxime, figuris & similitudinibus liber: non solum Medicis, sed omnibus rerum Naturæ ac Philologia studiois, utilis & inuen-*

dus, omnia simul impressa Tiguri apud Iacobum Gesnerum, anno D. 1565. in 8. chartis 67.

Eundem. Ped. Dioscoridis Anazarbei ad Andromachum, hoc est, De currationibus morborum per medicamenta paratu facilia libri II. Græcè & Latine, partim à Ioāne Moibano medico Augustano, partim vero posse huius mortem à Conrado Gesnero in lingua Latinam conuersi: adiectis ab veroq; interprete Symphonij Galeni aliorumque Græcorum medicorum. Argentinae excudit Iosias Rihelius anno 1565. in chartis 62.

Scripsit præterea quæ nondum sunt edita

Scholia in Orpheum de Gemmis.

De scriptoribus Germanicis librum.

Thesauri de Remedijs secretis, partem secundam,

Oppiani omnia in Latinam linguam transtulit.

Iod. Vullichij de arte Magirica librum emendauit & præ-

fationem addidit.

Emendauit etiam Plinij naturalem historiam: Theophrastum de historia & causis Plantarū: Dioscoridem de materia medica, & quædam alia quæ si vixisset, editurus erat.

## CARMINA DOCTORVM VIRORVM IN OBITVM D. CONR. GESNERI SCRIPTA.

FRANCISCI PORTI.

EΙΣ ΚΟΝΡΑΔΟΝ ΤΟΝ ΓΗΣΝΕΡΟΝ

Η εὐσέβεια δημολέγεται.

**Ω**Ιασω πανάκεια, καὶ ἀγλαῖε ἐπαῖτε κέρας  
Γύμνως φεζόμενης, τί τόσον υλαίετ' ὅδιοιεμεναι  
Μυημοσύνης, η τόσον υλαίετ' ὅδιοιεμεναι  
Φῶς ασκληπιασθῶν, φῶς πινυτῆς σοφίας.

CARMINA IN OBITUM

Γισνέρθ. ἀγλαίν τιγυρνῶν ὥχετο πᾶσα.

Ως φάσαν. δίσεβίν δ' εἴπεν ἀμενταμδύν.

Οὐδάνεν. εὐαγέων δ' εἰς ὁμίγυειν ἀγνὸς ἀπέπτη

Νωλεμέες, ὑψίσω Θεῷ δασιασόμενθ.

Χαιρέτε δὴ: βίελας δὲ γεράρετε τὰς κάμεις χείφας  
Ζωὴ ὄφεις χθονίοις ὥστερ ἐπιγενίοις.

Εἰς τὸν ἀντὸν.

Γισνέρε πρώτην μέρο λοιπὸν κακὸν ἀντὸς ἀλλακτεῖ

Φάρμακα σοῖσιν ἔταις ἴδιλλα ποειασάμδυθ.

Νῦν ἡ σὺ φῶς πατρίδθ λαοσάσον ἀμμιν ἀπέστησ.

Πῦμ ἄρα μήδη ζεῦ λυγρὸν ἐπιχθονίοις.

ADOLPHI OCCONIS.

Πάντα μαθῶν ἐπίγεια, τὰ αὐτά τε πάντα διδάξας

Κόρραδθ Γεσνήρ παμμεγέθεασι βίελοις.

Ἐρπετὰ, πεζὰ, πελειγὰ, ταῦτ' εἰν ὑδάτεσι νεονταῖ.

Ζειδώρα πλεύτον γῆς ἐπέβαλλε χείφειν,  
Δένδρα, πόας, σιλικνάστε λίθις κρυπτόντε μέταλλον

Οσα τὲ παιονίη πρόσφορε σωθεῖσι.

Αλλά τάδ' ἐκζητᾶντ' ἀδίης κατέμαρψε, φοβηθεῖς

Μὴ τάχ' ἐριμωθῇ τῷ θανάτοιο λάχθ.

Τὸν δ' ἀδίην ἐριμῆς ἀφέλων Γεσνηρὸν, ἀείρας

Τύφοθ, εἰς ψευνίας εἰσεβίβασε δόμυς,

Αφθιτὸν ὡς αἰῶνα θεῷ παρ' ἀνάπτιτε χεισθῶ

Πᾶσιτε Τεῖς ἀγίοις ἀν μάκαρ αἰὲν ἄγοι.

Hac Gesnere tibi statuit monumenta sepulchri

Fidus amicitiae cultor Adolphus Ocon.

O nimam viuo potuisse premia morum

Reddere, nunc lachrymas accipe pro meritis.

Nam semper fateor tacita te mente probauit,

Detexit sensus ultima flamma meos.

Tu columen rerum semper tu cura mearum

Nunc eris & ludus tu quoque causa mei.

Abf.

D. CONRADI GESNERE

32

Absolutus heu nobis te immisis & inuidia parca  
Et præmaturo funere te rapuit.  
Vita subit cœlum, corpus tellure tenetur,  
Omnibus erexit, viuis amore Dei.

CLARISSIMO VIRO CONR. GESNERO  
de se optimè merito.

ADOLPHVS OCCO III MED .REIP. AVG.  
GRATITVD. ERGO  
P.

HENRICI STEPHANI.

Ωμογέρων Γεστηρε ἀπώχεο ἵδε τεσσαρῶν,  
Οὐδὲ δειμοείδιον μοῖρανέμενε χρόνος.  
Αλλος νῆρος πόρων ἐρει Γεστηρε γενέσας  
Ἐκ αὐτῷ μετέντοι σὸν βίου δὲ καμάτων.

Aliud.

Vix quinquagenos implens Gesnere decembres,  
Fata implexa vita præproperata tue.  
At te posteritas annos implesse Sibyllæ  
Dicat, tot libros vel neget esse tuos.

Aliud.

Tam paucos doleo, miror vixisse tot annos;  
Nanque hominum soli nil tibi fellis erat.

Aliud.

Te quoque miraculum posse tot miracula tandem  
Natura, illa iubens te celebrare, tulit  
Nunc celebrata solo miracula cætera linquit,  
Te maius reliquis, inuidet atque rapit.

IOANNIS CRATONIS.

Lux veterum, seclique sui decus, atque sequentum  
Dulcis amor, tristis conditur hoc tumulo.  
Pars melior viuit scriptis & mente bonorum  
Condita, & in CHRISTI morte recepta sinum.

CARMINA IN OBITUM

Vivet & in meipso, dum vitam morte lucrabor  
Acque ero, quod nequeo corpore, mente Crato.

Aliud.

Gesneri cumulo adistu probitasque laborque  
Cum gemitu hoc, Tonus, credite, noster erat.  
Pro meritis lachrymas fundas, dein perge viator,  
Vtque Deo possis viuere, disce mori.

JOHANNES CRATO MED. CAES.  
II. amico S. S. F.

THEODORI BEZAE VEZELII  
carmen impunitov.

Te cælo mutante solum, Gesnere, volucres  
Quacunque pennis æra permeant,  
Repleuere modis omnia tristibus,  
Migrantem amicum extrema suprà sydera,  
Omnes cum gemitu graui insequuntæ.

Te cælo mutante solum, Gesnere, feroce

Gemunt in antris Beluae,

Et stabili pecudes oblitæ:

Sibilis colubri te feri gemunt lugubribus,  
Imisque quotquot sub cauernis  
Occulta terrarum colunt;

Et flaccidum plantæ videntes,  
Et pallidum flores nitentes,  
Et flaccidum arbores comantes.

Regnate per humida,

Et beluosus qua ferit vndique

Reboantia littora pontus,

Plantæ sonoro deflet Amphyrite:

Et liquidis sub aquis pisces natantes muticane.

Natura te omnis denique ut suorum fidum antisticem

Plorat

D. CONRADUS GESNERI:

33

Plorat sacrorum, muta  
Futura deinceps, ni loquaris moreuus.  
Hac inter tibi turbatus, Gesnere, parentat  
Beza tuus, vari vates, & amicus amico,  
His incompositis in numeris numeris.

D. CONRADO GESNERO TIGVRINO  
pietate duce, uirtutibus reliquis comitibus, omnia na-  
turæ arcana perscrutato, ac indefeliciter in coe-  
lum usque transgesso, Theodorus Be-  
za Vezelius mœrens posuit.

RODOLPHI GVALTERI TIGVRINI.

Si doctrina, fides, pietas, fera fata morari  
Possent, Gesnerus non moriturus erat.  
Sed quæ debuerant diram depellere mortem,  
Hac illi celeris causa fuere necis.  
Dum nimis indulget studijs, dum quoque iuuare  
Ardet, eheu ritam negligit ipse suam.  
Innumerous libros, linguas quasi nouerat omnes,  
Vlla vix aliquem vidit in arte parem.  
Lustrarat terras, plantas, animalia, gemmas,  
Quæque sub his terris caca metalla iacent.  
Traxerat ex alto volucres, ex aquore pisces,  
Viderat immensus quicquid hic orbis habet.  
Oceanum, freta, stagna, lacus exhauserat omnes,  
Vt studijs posset consuluisse bonis.  
Restabant cœli, quos cum iam sâpe subiret,  
Pondere se carnis sensit ad imatrahi.  
Deposuit carnem (cœli prò tantâ cupido?)  
Liberâ mox vinctis mens super astra volat,  
Quæ cùm sub pedibus nubes & sydera cernat,  
Miratur, quæ non viderat ille prius.

CARMINA IN OBITVM

Iamque extincta iacet discendi insana cupido  
(Nam quicquam in cælis discere non opus es.)  
Quippe potest coram rerum cognoscere causas,  
Quæque in carne gemens cernere nemo potest.  
Hic illi C H R I S T V S, summi sapientia Patris,  
Ætherea pandens abdita lata domus,  
Præmia victricis fidei promissa rependit,  
Ut summi secum viuat in arce poli.

IOANNIS VVOLPHII TIGV-  
rini SpñvG.

Nuper ut ad superas Gesnerus abiuerat arces,  
Ista meis lachrymis iuncta querela fuit.  
Eheu quam multum poteras Gesnere iuare  
Dotibus ingenij commoda nostra tui.  
Ni tibi complexissent iam tempora debita Parcae,  
Ut mors iniiceret in tua iura manus.  
Catera prætero: querulis nam vocibus illam  
Ædem compleram, qua tumulatus erat.  
Affuit ipse mihi manifesto in lumine visus,  
Et reducis vultus sicuti euntis erat.  
Atronitum alloquitur: vocemque his auribus hauis:  
Verba ferens sanctis non aliena viris.  
Define me tantis incendere teq; querelis:  
Es vita nostra satq; superq; datum.  
Mobilis in terris vernaque incertior aura  
Res hominum, dubia sorte metuq; scatez.  
Multalegens, cum multa docens, bene deniq; scribens,  
Multis de morbis clara trophea tuli.  
Nunc ubi confeci cursum, & mea fata peregi,  
Maximus his actis accumulatus bonos.  
At modo defunctus nunc isthac condor in urna  
Corpoore, non anima: quæ viget atque yalet.

Hec

Heic mihi per Christum promissa pace quiesco:  
 Huc, Christus dixit, confuge: saluus eris.  
 Post modo tu pariter cælestia regna subibis,  
 Exemptus curis omnigenisque malis.  
 Lætus abit: lachrymis abeuntem prosequor vdis.  
 Et dixit tenui murmure, viue, vale.

## GASPARI VVOLPHII TIGV-

rini medici.

Ars medica & linguae, stirpes, quod denique Musa  
 Sunt passæ eclipsin, mors tua causa fuit.  
 Det Deus ergo alium, lumen qui reddit ijsdem  
 Gesnerum, & studijs pergit adesse bonis.

## ACHILLIS. P. GASSERI, L. MED. AVG.

Quos iungebat amor, nunc Pestis disgregat atrox,  
 Tu gaudeas celo, quando ego versor humo.  
 Sed tuas sic virtus Gesnere meretur abunde,  
 Felix ut viuas semper apud superos.  
 Gasserumq; decet, gratis nunc laudibus vt te  
 In terris ornet, sit memor atque tui.  
 Iuppiter indigno dum Doctos eximit orbe,  
 Monstrat se iratum, Babariemque dabit.

CONR. GESNERO TIGVRINO  
PHILOLOGO ET POLYHISTORI

EXIMIO,

GERMANIAE LVMINI,  
 HELVETIAE DECORI,  
 EDITIS IN OMNI LIT. GENERE  
 PRAESERTIM VERO IN MED.  
 ET NAT. PHILOS. LVCVB.  
 CLARISSIMO,  
 DVM DE ALIORVM VTL. PROMOVENDA

CARMINA IN OBITVM

MAGIS, QVAM DE PROPRIA  
SAL. TVENDA COGITAT,  
ECCLESIAE, SCHOLAE, REIP.  
BONORVM DENIQ. OMNIUM  
CVM INCREDIB. LVCTV  
BLANDISS. EADEM Q. ATROCISS.  
PESTIL. ABSVMPTO,  
THEOD. ZVNGGERVS BAS.  
PRAECEPTORI B. M.

P

M. D. L X V.

INGENIO VIVENS NATVRAM VICERAT OMNEM,  
NATVRA VICTVS CONDITVR HOC TVMVLOR.  
PLINIVS HIC SITVS EST GERMANVS, PERGE  
VIATOR.

GESNERI TOTO NOMEN IN ORBE VOLAT

GVLIELMI GRATAROLI MED. D.

Solus habet laudum quicquid possedimus omnes;  
Artibus ornatus moribus atque pijs.

IOANNIS FABRICII MONTANI.

Quid miser in tumulo Gesneri figis ocellos?

Hic iacet exuicias præter & offa nihil.

Amplius exili nequit mens corpore claudi.

Cui nimis angustus maximus orbis erat.

Quicquid enim tellus, quicquid mare gignit, & aër,

Ingenio tanti cesserat omne viri.

Vnus erat reliquis qui iam restabat Olympus:

Disceret in summo nunc ubi cuncta Deo.

P. MELISSI FRAN. P. LO-

GESENRI postquam tristes morientia Musæ

Viderunt atra lumina nocte tegi:

PRO

D. CONRADI GESNERI.

35

Proversu gemitus, lacrimas pro carmine fundunt,  
In gemitus carmen, versus it in lachrimas.  
Prætexitq; nigro Phœbus velamine frontem,  
Plus fatum, moerens, arte valere sua.  
Attamen ut tumulo meriti reddantur honores,  
Ne tanta iaceat fama sepulta viri:  
Protinus Hesperidum selecta fragrantibus hortis.  
Pierides cineri dona supra magna ferunt,  
Ambrosiam, roremq; maris, nardumq; virentem,  
Scilicet & Flores o<sup>rum</sup> Hyacinthe tuos:  
Spargunt & violas & purpureos Amaranthos,  
Inscriptisq; locant marmorata cæsa notis.  
Qui iacet hic, qualis quantusq; prioribus annis  
GESNERVS fuerit, charta loquitur annus.

W VOLFGANGI HALLERI

Tigurini.

Sicut doluit semper veneranda vetustas.  
Rerum naturæ quæ studiosa fuit,  
Quod periere simul præclara volumina dudum  
Quæ sapiens Solomon scripserat ipse suis,  
Ignorata diu quibus ille arcana retexit,  
Orbi que toto commoda multa darent.  
GESNERI merito sic omnia secula mortem:  
Postera plorabunt, tempore quæque suo,  
Quod tam præpropera vir tantus morte peremptus:  
Qui poterat multum restituisse, sicut.  
Quantus enim fuerit Naturæ inspector, ab omni  
Illius ex libris parte videre licet.  
Atq; vitinam saltem licuisset viuere, donec  
In manibus quod erat, grande dedisset opus,  
Plantarum historiam, Naturæ arcana profundi  
Scrutantem, magni valde laboris opus.

I 3:

CARMINA IN OBITUM

AFF aliter Domino quoniam placuisse videmus,  
Nos nunc cum tota posteritate simul,  
GESNERI meritis summisq; laboribus eius  
Grati, perpetua laude vehamus eum.

RODOLPHI COLLINI F.  
Tigurini.

Ergo tibi venit Gesnere supra<sup>m</sup>a laborum  
Meta, Deus requiem iamq; tenere dedit?  
E heu quid nobis miseris te fiet adempto?  
Quis tua sat poterit tristia fata queri?  
Spes tamen h<sup>e</sup>c lactum leuat, & solatia præbet,  
Præmia quod vitæ iam melioris habes:  
Semitæ quodq; eadem, Domino statuente, terenda!  
Omnibus, & nulli transilienda venit.

IOAN. PONTISELLÆ.

Hac requiescit humo Gesnerus, regnat in astris  
Spiritus, in terris gloria summa viget.  
Ενθάδε Γεσνίου πεφαλὴν κατὰ γαῖαν καλύπτει,  
Πνεῦμα δὲ ὄυενόδι ζῆ βίον ἀθάνατον.

Iohannes Pontisella Iunior.

Anno ætatis sue. 14.

IN OBITUM CLARISSIMI VIRI  
D. Conradi Gesneri Medici prestantissimi  
Elegia, Nicolai Reusneri Leo-  
rini Silesij.

Dum nigra roriferis terræ nox incubat ymbriis.  
Longius & tremula Cynthia luce micat.  
Exiguoq; leues spirant cum murmure venti,  
Astraq; connuent candidiora polo.  
Quà Licus à Boijs Rhetos disternat acres,  
Carmina GESNERI funere pauca canam.

Qualia

Qualia defuncto Pelignus Naso Tibullo  
 Flebilibus cecinit sera sed apta, modis.  
 Quis vetet? & tumulis suis est honor, altaq; virtus  
 Nominibus minimè prætereunda suis.  
 Forsan & hoc gaudent imi solamine manes,  
 Et quæ non profunt munera, sèpè iuuant.  
 Ergo age, seu superum cœlestia templæ frequentas  
 Seu colis Elysij culta vireta soli.  
 Dum cano, dum mœstus soluo funebria iusta,  
 Laudibus ô adsis umbra faueq; tuis.  
 Non ego Pieridum felicia dona Dearum  
 Acre vel ingenium, iudiciumq; sagax,  
 Scripta nec attingam totum vulgata per orbem,  
 Ingenij fuerit dinitis illud opus.  
 Non mihi spes tantas laudes æquare canendo,  
 Materie virtus pondere cedit honor.  
 Sat mihi sat fuerit testari voce dolorem,  
 Nec gemitus obitu continuisse tuo.  
 Quo tua quo verò deplorem funera fletu?  
 Quod mihi principium? qui mihi finis erit?  
 Laudibus an luctu videor debere teneri?  
 Exiguas vires vincit vterq; labor.  
 Fessaq; iam primo cesserunt corpora somno,  
 Incunda refouent membra quiete ferae.  
 Quis nescit? mortis somnus perhibetur imago,  
 Mortales lectum discere nempe docet.  
 Par venit hic famulis, par regibus, omnibus æqua  
 Injicit obscuras conditione manus.  
 Et mors sceptra tenet toti communia genti.  
 Cum pueris iuuenes illa senesq; terit  
 Fortibus imbellis, inopesq; potentibus aquat,  
 Persequitur populos persequiturq; Duces.  
 Nec genus aut formam, nec honores curat opesq;

CARMINA IN OBITVM

Nec dotes animi, iudicijq; decus.  
Nerea quid facies? quid virtus iuuit Achillem?  
Hectora quid vires? diuitiaeq; Midam?  
Te quoq; sancte senex, non ars bene nota medendi,  
Inclita virtutis non monumenta tue.  
Non facilis texit facundæ copia lingue,  
Cultaq; mens studijs & pietatis amor.  
Raptus es hei raptus subito, cumulumq; recentem  
Attonitis Limagus mutus oberrat aquis.  
Scilicet hæc rebus fors ultima defuit artis,  
Qua sine Parcarum regna minora forent.  
Sic igitur vir clare iaces? hei pectus honestum,  
Hei pietas ingens, hei sine labe fides.  
Quò te quò medijs mors abripit atra procellis,  
Quò fugis ah moriens? quò miserande fugis?  
Siccine conclusa sic magne iacebis in urna?  
Totq; simul dotes, tot bona condet humus.  
Quis neges hunc seros annos implere dolorem?  
Et magni luctus posse senere locum?  
Crinibus en passis mæret Germania tristie,  
Cordaq; lugubri tundit aperta manu.  
Omnia sunt luctus, sunt omnia plena doloris,  
Planctus in afflictâ perstrepit urbe grauis.  
Ingemit, & lachrymis plebs lumina complet obortis.  
Ciuii & erepti publica damna refert.  
Extinctum luget studijs addicta iuuentus,  
Indignamq; dolet clamq; palamq; necem.  
Signaq; funesti præbent manifesta doloris  
Doctrina celebres consilioq; viri.  
Par gemitus cunctis, par est concordia flendi.  
Exequijs etas funeris omnis adest.  
Vidimus attonitum tristi quoq; funere Phœbū  
Per iuga plangores edere, perq; vias.

Vidimus

Vidimus Aonidas vultu profitente dolorem,  
 Mœnia luctificis ampla replere sonis.  
 Dissimilesq; sui charites, scissasq; capillis  
 Sapientia in roseas vnguibus ire genas.  
 Quæ nisi me moueant, duro me pectora ferro  
 Rupeie prædura clausa tenere putem.  
 Ergo subit quoties animo tam tristis imago,  
 Occupat immodicus languida membra dolor.  
 Quis mihi tunc lachrymas reprimat? lamentaq; crebra?  
 Mollibus & verbis anxia corda leuet?  
 Liquor, & ex oculis uber mibi defluit humor,  
 Sole velut tepido nix resoluta cadit.  
 Conqueror & casus tristes, ac inuidia fata,  
 Oraq; singulu lassa frequente sonant.  
 Qualiter extincto sociali compare turtur  
 Ingemit, & tristes integrat ore modos.  
 Qualiter arboreis nunc abdita deniq; ramis  
 Ismarium deflet Daulias ales Itym.  
 Iam ferè nox mediam cæli tenet humida metam,  
 Oceanii Phœbe, præcipitatur aquis.  
 Ergo semel bigis, cælum permensa citatis  
 Occidit, ac rursus Luna videnda fuit.  
 Nos vbi decidimus ferali morte perempti.  
 Eterna somnus lumina nocte premit.  
 Ab miseri, rigidi quoq; inclemencia fati  
 Vrget, & infastas cogit obire vices.  
 Quid frustra capimus tot pro virtute labores?  
 Pectora quid cæcus torquet honoris amor?  
 Vincere naturam stolidi quid tendimus arte?  
 Quid sumus in curas prodiga turba nouas?  
 Quid iuvat hyberno totas sub sydere noctes  
 Quid studijs longos inuigilasse dies?  
 Premia qua tandem fecimus? nisi præmia mortis,

CARMINA IN OBITUM

Magnaq; spes letbi victa furore cadit.  
Quas non virtutes, quas non hic calluit artes,  
Maximus & meritis & pietate senex?  
Quam variae pectus ditarunt fertile dotes,  
Præstisit Aonia commoda quanta gregi?  
Ocia discinctæ neglexit mollia vita,  
Pectora nec vitijs serua gulæq; dedit.  
Gloria non illum mendaci splendida fuco,  
Non luxus, & opum sollicitauit amor.  
Aurea simplicitas, & nescia fallere vita,  
Et pietas curæ sancta fidesq; fuit.  
Incubuit sacris vigilanti pectore Musis,  
Ac studijs tempus mitibus omne dedit.  
Atq; Machaonia felix & clarus in arte,  
Eripuit gelidæ corpora multa neci.  
Morborum causas prudens & signa notauit,  
Sustulit & medica vulnera magna manu.  
Gratia iucundis nec defuit optima verbis,  
Nec latuit virtus, eloquijq; nitor.  
Quid mores placidos? quid numen amabile frontis?  
Quid sanctam vera cum probitate fidem?  
Quid loquar ingenij fœtus, librosq; disertos?  
A sera dignos posteritate legi.  
Non bene contulerim scriptis insignibus illi  
Ingenioue parem iudicioue virum.  
Quid tamen hæc prosunt? quid rerum plurimus vñs?  
Quid virtus iuinit? quid veneranda fides?  
Num minus in busto puluis nunc, gloria quondam,  
Spes nuper patriæ, nunc leuis umbra iacet?  
Sic cecidit Cicero, sic maximus arte Melanthion,  
Sic Plato, sic Stagyra natus in urbe senex.  
Sic cadit, in longos qui viuere computat annos,  
Quemue putas semper posse vigere, cadet.

Tam

D. CONRADI GESNERI.

38

Tam nullifortuna fidem temeraria seruat,  
Et breuis est etas, & breue vita bonum.  
Pergite iam Musæ, lucis prænuntius ales  
Stridula dum rauca carmina voce sonat.  
Heus pes fallaces hominum: tot secula degunt  
Expertes sensus lustra per alta fere,  
Exuimus positis pubescit squameus anguis,  
Et reddit exuta visq; vigorq; cute.  
Rupe terit rostrum, tardam positura senectam,  
Incuruum magni præpes adunca Iouis.  
Abyrijs vitam dum finit odoribus, artus  
Fæcunda Phœnix morte reformat auis.  
Solus homo, solus diuinæ mentis imago,  
Nec vi depulerit tela nec arte necis.  
Non si sacra ferat duræ solennia morti,  
Infernoq; cadat victima multa Deo.  
Quæ tibi quæ merces igitur, vir magne, laborum?  
Quæ virtutis erunt præmia digna tua?  
Non lachrymæ reuocant defunctos munere vita,  
Nec gemitus quidquam, nec pia vota valent.  
Acaciden centum Diuæ luxere peremptum,  
Peleus & misera cum genitrice pater.  
Oceanus fleuit senior, longæuaq; coniunx,  
Immensasq; suis fleribus auxit aquas.  
Nec tenuit lacrymas Melite, Panopæaq; virgo,  
Cæruleas mæstæ dirupere comas.  
Non tamen immritis mutarunt iura Charontis,  
Flectere non planctus, non potuere preces.  
Hectora quis nescit tot desfleuisse sorores?  
Tot fratres misera condoluisse nece?  
Infelix mater passos laniata capillos,  
Dissecuit madidas vngue rigente genas.  
Puluere caniciem fædans, vulcusq; seniles

K 2

CARMINA IN OBITVM

Conspersit guttis grandibus ora parens.  
Immemor & decoris soliti liuentia coniunx  
Percussum palmis pectora sèpè suis.  
Astyanaxq; puer refouensq; fouensq; cadauer,  
Effudit questus nocte dieq; graues.  
Nulla per infernas vndas tamen vmbra renauit,  
Quamuis ex alta stirpe creata foret.  
Fleuit & Euryalum mater miseranda iacentem,  
Nec puduit madidis exululare genis.  
Oscula, dum licuit, suprema sine ordine carpit,  
Mouit & in trepido frigida membra sinu.  
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressans,  
Ad tumulum gemitus fusa rogoq; dedit,  
Nec tamen æthereas rediuiuus venit in auras:  
Panduntur nulla Tartara clausa prece.  
Sparge rosas hospes, Lauros & sparge videntes,  
Dic, spargo cineri, vir venerande, tuo.  
Quam subito solitum perdit rosa leta vigorem,  
Vomere vel nimis astibus ista rosa:  
T am subito quoq; vita fugit, fugit oxyus vmbra,  
Stare diu summis inuida Parca negat.  
Laurus ut aeterno Parnasis frondet honore,  
Sole nec intenso frigoribusq; perit:  
Sic viret, & longum tua gloria durat in æuum,  
Excubat & cineres peruigil ante tuos.  
Ne claudes poterit tantas abolere vetustas,  
Ingenio partum stat sine morte decus.  
Finis adeo noctis, tenebras iam discuit Eos,  
Ac tremulas roseo lumine spargit aquas.  
Qualis ad Auroræ fulget Cythereius ortum  
Lucifer, ac radijs astra minor a premit.  
Talis in ætherea mens emitet arce recepta,  
Scilicet aeterna munera lucis habet.

Illic

Illic erumnis & carcere libera carnis  
 Percipit in Christi gaudia vera sinu.  
 Et sortis secura malæ, secura laborum  
 Ocia cum superis deliciosa facit.  
 Iunctaque sacrificis, patribus, sanctisq; prophetis  
 Celestis sacro pendet ab ore Dei.  
 Subiectosque videt cœli septemplicis orbes,  
 Astraq; sub pedibus pura micare suis.  
 Q; vbi syderei cætus, animaq; piorum,  
 Fulget vbi Triadis splendor honosq; sacrae.  
 Quò neque mors, neque vis morbi, neque cura molesta  
 Aspirant, vbi pax, vita salusq; viget.  
 Surgamus, toto iam Titan orbe resulget,  
 Lamq; dies radijs spargit oborta solum.  
 Plura dolor, tempusq; vetant: vir maximè salue,  
 Salue perpetuum, perpetuumq; vale.

PIIS ET SANCTIS MANIBVS D. CONRA-  
 di Gesneri medici, & philosophi clarissimi, uiri pieta-  
 te, sapientia, uirtute, eruditione, humanitate præstan-  
 tis, qui feliciter & sanctè uitam in terris clausit  
 suam; An. M. D. L X V. Mense Decem-  
 bri D. X I I I.

NICOLAVS REVSNERVVS L. SILE-

suis pietatis ergo dedic.

Siste parum, manesque iube saluere viator,  
 Conditus hic rara vir probitate iacet.  
 Doribus ingenij qui præcellentibus auctus,  
 Peoniae cultor sedulus artis erat.  
 Nota viri pietas satis es, testataque virtus,  
 Nota domi rerum gloria, nota foris.  
 Candidus, innocuus, iustus, pius, integer, æquus,

CARMINA IN OBITUM

Insignis studijs & grauitate fuit.  
Calluit herbarum vires, usumque medendi,  
Syderei nouit lucida signa poli.  
Abdita natura scrutatus iura sagacis,  
Egregia doctor scripsit in arte libros.  
Quos nec longa dies, nec senior opprimet etas:  
Non vis in dotes mors fera mentis habet.  
Corpus humo positum requiescit, nomen in orbe,  
Spiritus excelsa viuit in arce D E O  
Quisquis es, ô requiem cineri pacemque precatus,  
Incertas lethi disce timere vices.  
Requiescit in spe resurrectionis mortuorum & vita aeterna.

ELEGIA IN OBITUM CLARISSIMI  
& optimi viri D. CONRADI GESNERI Tigurini,  
Medici & Philosophi celeberrimi & incomparabilis,  
scripta à IACOBO HEIDECO BERN<sup>a</sup>  
BURGENSI ANHALTINO.

Qui tot inexhaustos curae studijque labores  
Sustinuit celebri nomine, laude, fide,  
Qui rerum causas solers scrutatus, in omnes  
Naturae partes ingeniosus erat.  
Qui Medicam magno conatu tradidit artem,  
Et facili methodo noscere cuncta dedit.  
Cuius & omnigenas curae sparguntur in artes,  
Cuius in orbe loquens fama decusq; viget.  
GESNERVS, fatis nimium properantibus, eheu  
Artis Apollinei splendor honosque iacet.  
Immortale decus patrie & laus inclita terrae:  
Totius Europea gloria magna iacet.  
Publica Teutonica gentis spes concidit, eheu  
Magno ornamento Teutonis ora caret.

Hunc

D. CONRADI GESNERI.

40

Hunc lugete virum, seu vir seu fæmina: luctus  
Publicus ingentes concutit ille viros.  
Hunc luge Heluetia: huic Germania fundito fletus:  
Funeris exequias vir iuuensis ferat.  
Hunc gemel lugubrem miserabilis induit vultum,  
Et tanti Medici tristia fata dole.  
Respicie, quantus habet dolor oppida, quantus & vrbes  
Luctus agit: mortis fata inopina dolent.  
Singula tristantur: tellus negat arida flores:  
Indulgent lacrymis æther & vnda suis.  
Ipse suo Limagus nescit bene currere in alueo,  
Exonerans se, ferre recusat aquas.  
Effluit, & lacrymas gemebundo littore miscet,  
Obvia tam magni signa doloris alit.  
Plangit Pierides, G E S N E R V M plangitæ Musæ,  
Orba iacet magno Teutona terra viro.  
Heu lacrymosa dies, heu magna iniuria mortis,  
Quæ tantum iuris sumit vbique fibi.  
Ereptum Medicis columen, munusque decusque,  
Quo nullum maius, diuus Apollo dedit.  
Occidit ingenui candoris nobile lumen,  
Dixeris, ab probitas simplicitasque iacet.  
Ingenuum sapiens commendat scriptio pedius.  
Emicat ex scriptis cor animusque viri.  
Non leuis ambitio: non inuidia gloria pectus  
Exitimulauit: Amans posteritatis erat.  
Nil intentatum liquit: superauit in ipso  
Conatu vires ingeniumque suum.  
Singula vestigans studio florente peregit,  
Successu gaudent cura laborque suo.  
Digna legi monumenta dedit: mirabitur omnis  
Posteritas multi grande laboris opus.  
Quicquid habet tellus, quicquid capit aer & vnde

CARMINA IN OBITUM

Explicat, & mira dexteritate docet.  
Vnus hic ingenij deuicit dotibus omnes,  
Atque fati leges vincere non potuit.  
Et quamuis sibi nil studio vigilante pepercit:  
Nulla tamen didicit parcere Parca viro.  
Adde, licet multum tractauit Apollinis artem:  
Tutus ab infidijs non tamen huius erat.  
Heu funesta dies letho hunc demersit iniquo,  
Sustulit hunc rapidae pestis amara lues.  
Quem labor immensus nequit oppresisse, repente  
Mors premit humanis inuidiosa bonis.  
Quid iuuat immites Parcae disruptere fila,  
Et celeri mortis facta ciere manu?  
Nonne fuit satius longæ stamina vita  
Ducere, & humanis consuluisse bonis?  
Heu nimium falso sunt indita nomina Parcae,  
Parcere non vlli Parca maligna potest.  
Nil valet eloquij vis: nil sapientia prodet.  
Omnia subiiciunt fatalia seueraneci.  
Dives inopsq; pari censemur munere vite,  
Quemque manet sua mors, interitusq; rapit.  
Tam nihil est vsquam constans: ludibria vite  
Ambiguo remeant, stantque ruuntque loco.  
Ludit in humanis leuis inconstantia rebus,  
Præsentemque latet funeris hora diem.  
Sola suu nescit virtus omniscia finem,  
Expers interitus viuenda sola manet.  
Magna viri virtus, operosaque gloria famæ  
Viuet in æternos non moritura dies,  
Viuet honos operum, viuacis nominalaudis  
Semper erunt, semper viuet honos operum.  
Scilicet utilitas ex ipsis prodita rebus,  
Materiam æterno tempore laudis habet.

Sem-

D. CONRADI GESNERI.

41

Semper bonos nomenque tuum GESNERE manebunt,  
Dum viridi campo flosculus vallis erit.  
Florida dum Phœbi laurus frondebit in horto,  
Candida doctrina fama superstes erit.  
Æternum pariunt præclara volumina nomen,  
Et laudes celebrant propria scripia tuas.  
Eloquij laudes operum pars maxima cantat,  
Cantat in Eois occiduisq; plagiis.  
Nunc GESNERE pijs placide requiesce sub umbris,  
Dum lucis redeat fax animosa tibi.  
Mirandasq; operum causas introspicie mundi.  
Cum dabitur sensu nobiliore frui.  
Vive DEO æternum cœli viridaria lustrans:  
Vivat in innido meus preciosa DEO.

IACOBI HVLDRICI.

Triflia lugubri plorat tua fata gemendo  
Carmine, doctorum copia magna virum.  
Quæ tibi pro meritis sic dignos reddit honores,  
Et facit officij munia digna sui.  
Post illos etiam liceat mihi plangere mortem,  
Deflendam merito, vir venerande tuam.  
Te, patriæ lumen fueras qui, lausque, decusque  
Ab, quod tam subito mors inopina culit.  
Testantum, maiora viris maioribus ausum  
Scribere, in æternum non peritura, virum.  
Et quod lethæo fœdis tua pressa sopore  
Membra iacent tumulo, vermibus esca modo.  
Heu dolor, heu luctus, Patriæ studiosa iuuentus,  
Quæ merito tanto nunc gentis orba viro.  
Ah, studia ac linguas, naturæ arcana profundè  
Perserutata diu, morte relapsa tua.

L

CARM. IN OBITVM D. CONR. GES.

Ah quod non licuit longos tibi viuere, plusquam  
Nestoreos annos, ut bene dignus eras.  
At frustra gemimus, cum tu iam cœlica regna  
Lustres, quæ vitæ spes fuit vnatua.

FELICIS TRVBII TIGVRIN<sup>1</sup>,  
Gesnerus loquitur.

Cum nossem terras, nossem genus omne ferarum,  
Æthereumq; genus, squamigerumq; genus:  
Plantarum seriem cum vellem ponere certam,  
Mors operi intentum reperit atra meo.  
Et Gesnere tibi, dixit, spectanda supersunt  
Nunc tandem rutilis ydera celsa Poli.  
Linque igitur terras, & corpora linque caduca,  
Cum CHRISTO in cœlis viuere posse datur.

RODOLPHI COLLINI SENIO-  
ris Tigurini.

Et iuuat, & rædet suprema reuoluere dicta,  
Quæ Gesnere mihi iam moriture dabas.  
Chare vale: dixi: præceptor, te duce linguam  
Athidios, à lustris octo fere, didici.  
Ex quo te colui semper, docuique vici sim.  
Nunc moriar: vitæ mors mihi principium es;  
Mitte senex lachrymas: quoque te manet altera vita,  
Læta magis, regno mox in Olympiaco.  
Felices ubi cum Domino viuemus I E S V  
Omnibus exuui sollicitudinibus.

Ibimus omnes.

CASPARI VVOL<sup>o</sup>  
PHII TIGVRINI MEDICI  
ET PHILOSOPHI TΗΠΟΣΧΕΣΙΣ, SIVE  
de Con. Gesneri stirpium historia ad Ioan. Cra-  
tonem S. Cæs. Maiest. medicum  
excell. Pollicitatio.

V M & egregia virtus & excellens doctrina, pru-  
dentialia tua, quan mirum ipse etiam Diuus Ferdi-  
nandus Cæsar adductus, te sibi medicū esse voluit,  
multis modis mihi cognita perspectaque, esset, meqe, e-  
tiam ad te non minus colendum quam diligendum iam pridem ex-  
citasset: quo officij genere, quāti ego te faciam, tibi comprobarem,  
sēpē multumque mecum, ornatiissime Crato, cogitau. Et quāquam  
huic meo desiderio, ingenij mei mediocritas in hunc vsque diem ob-  
stiterit, meqe, à suscepto non, opinor, illiberali consilio retraxerit:  
præsens tamen occasio quat tibi fortè neque omnino iniucunda, neque  
at*tuis* prorsus studijs aliena, fecit ut hinc animi mei mirabiliter  
ergate propendentis desiderio, audentius satisfacerem. Cæterum  
voluntati atque studio huic meo calcar addidit, felicis memoriae  
doctissimi viri Conradi Gesneri (cuius præmaturam mortem,  
cum iacturam totius reipub. literariae coniunctam habeat, meri-  
tè omnes lugemus) sedula & frequens ut hoc agerem, exhorta-  
tio. Quod quidem ego in eum finem ab ipso factitatum nunc de-  
mum intelligo, ut in re aliqua graui peragenda, qualem ille, se-  
quid forcè accidisset, mandaturus mihi esset, haberem apud te, ma-  
gnum meorum conatum atque, cogitationū repositum præsidium.  
Et profecto citius, quam quisquam sperare posset, hoc ita euenit.  
Etenim cum quinto Idus Decemb. graui morbo ac maligno car-  
bunculo affectum & correptum sese sentiret, nec satis quem exi-  
tum morbus esset habiturus à quoquam iudicari posset, consilium

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

suum pluribus mihi verbis aperuit ac patefecit. Ac primò quidē  
suppelletilem multam & variam pro stirpium concinnanda hi-  
storia, quam in Musæo hinc inde, ut sit in negotiorum multitudi-  
ne, sparsam habebat, suo quamque loco non ostendit solum, sed ut  
eam mihi curæ esse velim pluribus verbis etiam atque etiam com-  
mendat. Ac quanquam mihi etiam ante a cum opera mea ad dige-  
rendam hanc materiam, atque ad perlegendos nonnullos huius  
generis libros vteretur, qua via ac ratione tantum opus perfici  
posse, cogitaret, indicaisset: tamen hoc tempore cum id mihi relin-  
quendum arbitraretur, plenius ac melius monstrauit. Cumq;  
hanc ipsam historiam, non solum medicis ac philosophis necessa-  
riam, verum etiam aliarū artium ac facultatum doctoribus mi-  
rum in modum vtilem iudicaret, essetq; ipsa multis iam annis ab  
optimis quibusq; ac doctissimis audiisse desiderata: hoc ipsum  
præterea, quod pro suo iure imperare debuerat, à me petijt, vt huc  
laborem et si difficultem, vtilem tamen & expectatum suo nomine,  
si ex hac vita forte dominus eum euocaret, non grauare perficien-  
dum susciperem. Atque huius quidem rei, cum alij multi testes  
esse possent, tum illud ipsum satis claro & evidenti arguento  
est, quod vniuersam simul herbariam suppelletilem, schedas o-  
mnes, tum libros etiam ad eandem necessarios adhuc viuus & si-  
bi benè constans, certo precio indicatos assignarit. Et quanquam  
hac ingenij & sapientiae laude mirificè præ ceteris esset ornatus,  
vt de uno quoque commode iudicium ferre posset: existimat a-  
men, id quoque illi hoc in loco impedimento fuisse, quod plurimis  
alijs officere solet, vt amore & benevolentia erga me quadam du-  
ctus (quod ego non semel egregie sum expertus) plus mibi quam  
reuera prestare possum, tribuerit. Ego hoc eius sermone, hacque  
petitione in eas angustias sum redactus, vt diu inter p̄fem me-  
rumque dubius hæserim, nec satis quid huic inopinat & petitioni  
commode responderem, habuerim. Vbi ille, cum hæsitationem me,  
tardioremque ad responsum animaduertisset, hoc ipso animum  
quasi reddidit, quod amicos suos viros doctissimos & humanitatem  
prestan-

præstantes, quorum animos partim officijs, partim sua ipsorum voluntate promptos sibi conciliasset, quosq; hactenus suorum consiliorum atq; actionum & authores & fautores habuisset, auxilio mibi atq; consilio affuturos non dubitaret. Hoc, eximiè doctor, hoc inquam fuit, quo adeò me excitauit, ut remotis quæ obstatre videbantur impedimentis, petitioni quamvis difficulti, præsertim iamiam morituri cesserim. Quam enim iniquum, prorsusq; ab omnibus humanitate alienum sit, iustæ & amicæ amicorum iam iam debitum naturæ persoluentium, petitioni aliquid denegare, norunt homines omnes à quibus humani nihil est alienum. Atq; his adhuc modum inter nos, quatuor ijs diebus, quibus cum morbo consuetabatur, actis & transactis, quinto deinde die, qui erat Iduum Decemb. hora noctis vndecima, pie & tranquille fato fungitur.

Igitur eo mortuo, cum hæc eius libraria suppellex omnis ex pacto ad me translata esset, & illud chaos ego vicunq; digessisse; hoc imprimis facto opus esse iudicauit, ut quid de hac tandem expeditata stirpium historia deinceps sit sperandum, edita in lucem. Polliticatione publica, declararem. Ad te vero, doctissime Crato, hoc mibi scribendum duxi: partim vt tuam illam humanitatem & benivolentiam, qua erga omnes literarum ac scientiarum cupidos affectus es, familiariter ad me quoq; transferrem, sicq; eadem opera, meo desiderio satisfacerem: partim vero, vt per te omnes intelligant, quid de multis & magnis Gesneri nostri ingenij & laboris monumentis posteritas sibi debeat ac possit polliceri: quandoquidem & eo in loco es constitutus, in quem tot millia hominum vñq; confluunt, & autoritate quoq; ita apud omnes valles, vt omnium oculi, in te vnum quasi conuersi videantur. In his autem et si multæ sint & varie schedæ, exq; pulcherrimæ & maximarum utilitatum plenæ: primæ tamen partes herbarum materie debebuntur. Etenim ea historia ubi perfecta fuerit, magni cuiusdam circa stirpium historiam, & rem rusticam, commentarij vice esse poterit, vt Medicis, philosophis, physicis, philologis, omnibus, apprimè non solum vtilis, sed & necessaria futura sit,

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

etenim & varia, multiplex, πολύχρονη & erudita erit, & no-  
ua multa, subtilia, ardua & exquisita complectetur. Cum enim  
res herbaria, omnibus propemodum, quemadmodum & reip̄sa  
est, infinita hactenus habita sit, idq̄ partim ob stirpium nume-  
rum maximum, multiplicemq̄ singularum differentiam, partim  
vero etiam ob locorum maximam, in quibus gignuntur diuersis  
statim, tum laborem superant) unius Gesneri opera, studio &  
labore, hac infinitas ad certum propemodum numerum redacta  
alicui videri potest. Tot enim numero plantarū figuræ, magno  
adhibito iudicio inter se distinctas, collegit, ut nullas præterea to-  
to terrarū orbe superesse, meritò aliquis existimauerit. Sed & tā  
difficultatem, quam locorum peperit huic studio diuersitas, par-  
tim quidem suis met ad varia & longinqua loca peregrinationi-  
bus, que non semel maximo cum vita discrimine adiicitur: partim  
vero doctorum hominum, diuersis in locis, ad que ipse ob corpo-  
ris valetudinem, aliaq̄ incommoda penetrare nequiueraat, habi-  
tantium, liberalitate sustulit, cum totius ferè huius eniuersi rara  
& singularia in hunc unum locum congregata videantur.

Collegit siquidem viginti ferè annis continuis (ab ipsa  
namq̄ adolescentia naturali quodam impetu ad hoc studium fere-  
batur) magno iudicio, singulari diligentia, & summo studio, mul-  
tationibus, donisq̄ adiutus, icones herbarum plurimas, ut eriam  
earum numerus ad 1500. figurarū differentias excruevit. Nec  
dubium est, quin pro eo atq̄ erat industrius & diligens natura in-  
vestigator, si vitam ei Dominus prorogasset, intra hoc biennium,  
quo absolute iri hoc opus sperauerat, multo plures conquisi-  
set, ut sine controversia, hæc historia omnium antiquorum & re-  
centiorum huius argumenti scripta, multis modis vicisset. Nec  
vero hanc commoditatem solum habet præsens opus, sed etiam  
veterum authorum, qui hanc tractarunt materiam, Theophrasti  
videlicet. Dioscoridis, Galeni, Plinij, Arabum præcipue, & alio-

STIRPIVM HIST. POLLICITATIO. 44

rum quorundam controversiae, & pugnantes sententiæ tum circa nomina, tum descriptiones herbarum, mutua & diligentius Gesneri nostri collatione, quantum quidem per ocium licuit, magna ex parte conciliantur & restituuntur: & fortè (quod sàpe ab eo dictum memini) in hoc studij genere, nemo hactenus extitit, qui tantum præstiterit, quantum ipse. Atq; hoc ita esse res ipsa ali quando, Deo opt. max. conatus nostros feliciter adiuante, testabitur. At quàm hoc sit futurum vtile, quamq; necessarium, ij noverunt tantum, qui intelligunt hos authores fundamenta & principia scisse principia huic physiologiae parti, neminemq; posse feliciter in ea proficere, qui in his non sit diligenter prius versatus. Sed præter hos ipsos authores, plures alios supra ducentos huic tractanda pro dignitate historiæ adhibuit, quorum partem maximam contulit ac perlustrauit ipse, aliquam verò etiam ego ab eo instructus. Ex quibus, quæcunq; huic proposito seruiebant, vel integræ descriptæ sunt, vel saltē ut reperiiri postea possint, notata. Sed & inspiciendi adhuc restant plures alij: & ex medicis quidem priscis atq; philosophis, Hippocratis plurima, Galenij quædam presertim de paratu facilibus, Auerrhois Colliget, & Aristotelis problemata, &c. Ex recentioribus verò Manardi, Mundella, Mathioli, Langij epistola, Montagnana consilia & quidam alij. Ex Poëtis quoq; aliqui restat. Et hactenus quidem magno studio & laboribus improbis stirpium historiam optimus Gesnerus promovit & produxit.

Eandem diligentiam adhibuit in pingendis herbis, & viuarum effigie imitanda, quarum centum fortè & quinquaginta ab ipso authore, ea arte & industria perfectæ & elaborata iam sunt, ut idem de his suis picturis meritò dicendum sit, quod Plinius de Zeuxi nobili pictore refert, quod nimirum tanto ingenio vias pingendo repræsentasset ut deceptæ aues ad eas canquam plane veras aduolarint; aut quod de Apelle memorant historie, qui tanta artis pingendi peritia equam ad veram expressit, & similiter canem, ut prætereuntes equi adhinniret, adlatra-

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

rent canes. At quām hoc sit verum, apposita ad finem huius, figura facile testabuntur. Reliquas vero ad viuum, pro ut ex suis, partim amicorum & aliorum hortis habere potuit, suis coloribus in charta, magnis sumptibus pictas, posse, inter reliqua herbaria fragmenta reliquit: partim ad sui oblectationem, partim vel melius ceu ad perfecta archetypa delineari postea in ligno possent, partim etiam ut opere impresso & absoluto colores etiam comodè adderentur pro ijs, qui sumptus maiores facere vellent emptoribus. Si quas vero ad viuum habere non potuit, ab amicis hinc inde ut ad viuum in charta resecentur, eismittantur, perire & exorauit. Eius generis multa restant, ab amicis hinc quoniam in figurarum proportione & magnitudine à quibusdam haec tenus qui plantas effigi curauerunt, parum ad modum cum emptoris, ne sumptu grauaretur, tum eius qui disicit in dissimilitudine, ratio sit habita, ideoque plantis maximis & minimis ferre sine discrimine una eadem magnitudo sit tributa, hoc suo de plantis opere, quemadmodum & in reliquis suis omnibus, admodum circumspectus & prudens Gesnerus, herbis maximis, hoc est, ex bitos quatuor aequalibus, aut etiam excedentibus, maximam for norem habita proportionis ratione: veluti bicubitilibus, triun pollicum: tricubitilibus, quatuor cum dimidio, &c. minoribus ve ro eandem fornicem, ne nimis parua, & idcirco cognitu difficultiore fierent imagines. Eius generis nonnullas inferius quoque apponemus. Ceterum quoniam partes singulae quæ stirpibus insunt, multæ in integra delineatione admodum minuta reddantur, ut ne à pictore quidem ita satis subtiliter & distinctè pingi possent, neque si hoc fieri potuisset, ab insipientibus cognosci: iuxta integrum formam, plerumq; partes aliquas maiusculas, ut florem vel semen, fructum aut folium, &c. pingi voluit. Fructuum etiam interiora, quemadmodum in quibusdam etiam seminum, nonnunquam ana tomicè spectanda videbuntur. Cuiusmodi anatomen inferius in Terebinthi fructu, cuius folliculus in quo culices latent, seorsim depictus

STIRPIVN HIST. POLLICITATIO. 45

depictus & in partes dissectus, ut interiora etiam videri possint,  
spectandam exhibemus. Atq; hæc formarū ratio, ut diuersis libro-  
rum formis magnis & paruis accommodata erit; sic etiam &  
Dioscoridi, Plinio, & Theophrasto, qui apud me, innumeris in  
locis à Gesnero emendati, & commentarijs quibusdam illustrati,  
magna cura seruantur, omnino aliquando conueniet. Neq; enim  
majoribus formis opus est, si ex parua proprie & probè picta, le-  
tiori & inspicienti satis fiat.

Sed figurarum quoq; modus statuendus est, ne vel hoc ipso  
emperiori molestiam exhibeamus. Si quis enim minutatim singulas  
persequi vellet, & vulgares illas passimque obuias & notas  
(quauis alia alijs regionibus nota & vulgares sint) & in qui-  
bus error nullus contingere potest, pictura exhibere, ad duo forte  
vel tria millia figurarum numerus excresceret, sumptusq; auge-  
retur. Hoc ut praecaueret author incommodum, vel prætermi-  
ttere vulgares cogitatbat, vel si qua inter alias cognatio vide-  
retur, in unam formam coniucere. Id quod ab ipso in Absinthij  
aliquot generibus inferius positis, obseruatum est, cum parum  
differre videantur. Sexus quidem differentias in omnibus  
ferme reperi animaduertit, ex flore, folio, radice, sapore, odore,  
facultatibus, præcipue vero & maximè ex seminis similitudine  
& fructus, conjecturam faciens; sed ita in aliquibus parum dif-  
ferentes, ut pictura exprimere, minime existimauerit necessa-  
rium. At ubi notabile aliquod discrimen occurrit, quemadmo-  
dum nec debuit, ita nec voluit eius imaginem aut picturam præ-  
termittere.

Ac hactenus quidem in genere, quid de hoc opere sit speran-  
dum, quiduè hucusq; author præstiterit, vt cunq; sumus persequu-  
ti: deniq; etiam orationis quadam affinitate, figurarum quarum  
hoc in libro vsus erit, substantiam, quantitatem & qualitatem  
explicauimus.

Nunc porrò totius operis rationem vberiorem reddemus,  
ut intelligant omnes, quod etiam si nobis peritiissimus atq; inge-

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

niosissimus huius operis artifex, fato præmaturè sit ereptus: superesse tamen adhuc, & posteritati conseruari, non materiam solum, quæ amplissima est & varia, sed modum etiam seu ordinem, præcipuum huius futuri operis instrumentum, quo nimirum ipse author, siquidē superuixisset, usus fuisset. Et quamquam à principio huius suscepit sui consilij, aliquandiu quem feruare ordinem veller, dubitarit, Dioscoridémne, qui secundum locos quosdam ac quasi per genera & species, hoc argumentum tractauit, sylvestria scilicet, sativa, cerealia, legumina, spicata, lactantia calida, lactantia frigida & huius generis alia separando, se queretur: an verò de quaq[ue] stirpe seu planta congereret prius, quacunq[ue] de ijs veteres scriptores Dioscorides, Hippocrates, Galenus, Plinius, Aucenna, & alij complures, haberent: corollaria verò deinceps singulis ex recentioribus partim, partim ex suis ipsis obseruationibus adiiceret: tamen in eam tandem descendit sententiam, ut literarum ordine, quem etiam prius in animalium historia tenuisset, Galeni autoritate, & doctissimi Fuchsi, singulari spectandas proponeret & explicaret. Mouebatur adhuc consilium, tum quod inumeras schedas prius ita digestas, & facultius amanuensium opera uti posset, tum verò cum Lexicis in star futurus liber esset, non medici solum, sed & alij facilius que bellent inuenirent.

Cæterum & hoc quoq[ue] eum aliquandiu sollicitum tenuit, unde omnia, quæ de hoc argumendo dici possent volumine comprehendenderet, an verò in diuersos tomos, pro materia diuersitate distribuere, melius aut commodius esset. Etenim cum prolixè, copiose, diligenterq[ue] de ijs omnibus esset scripturus, quæ de herbiis & etymologiæ Gracè, Latine, Arabicè, Hebraicè, &c. explicarentur: partim vero Physicus seu Historicus, qui descriptio-nes singulares plantarum, genera & species, tempus quo florent germinant, semina aut fructus faciunt, & huius generis multa tractaret: partim etiam Medicinalis, in quo peculiariter de vi-ribus

ribus & facultatibus plantarum, vi sunt vel alimenta vel me-  
dicamenta ageretur, iterum dubitauit, utrum tribus peculiari-  
bus libris distinguere, satis commodum foret. Aliquando verò  
duobus tomis concludendam censuit, quorum prior plantas vni-  
tas literarum ordine descriptas contineret: posterior verò eo-  
dem ordine rariores. Aut rursus nulla habita plantarum ut rare  
aut vulgares sunt, ratione, altero quidem herbarum natura pro-  
xime & propriè, nimirum nomina, descriptiones, temperamen-  
ta & facultates secundum elementorum ordinem describerentur,  
altero verò Grammaticalia, vocabulorum etyma, textuum  
amendationes, & in uniuersum Philologia tractaretur: quorum  
hic Lexicon vocabulorum, ille verò rerum medicarum aliarumq;  
Historia appellanda fuisset. Verum cum tandem omnia coniun-  
gere constitutum sibi esset, eam in ipso opere concinnando, siqui-  
dem vixisset, seruaturum, & me, si ipse è viuis excederet, obser-  
uare debere indicauit viam ac methodum, quam etiam antea in-  
animalium historiæ seruarat: nempe ut primum caput, quod ille  
alibi A. litera significatum voluit, Nomen obtinuisse. Collegit  
autē pro hoc capite linguas plures quam ante ipsum forte nullus.  
Latina vetera è Plinio & Celso; noua & barbara ex recentiori-  
bus. Hebraica ex veteris testameti lectione & Lexicorum. Ara-  
bica & Persica ex scriptoribus illis Barbaris, qui de re medica  
extant: & horum quidem plurima contulit, quæ corrupta, literis  
pro se iniucem positis, hinc inde ab eiusmodi scriptoribus lege-  
bantur: in eo, ut dixi, laborauit plurimum, & plurimum lucis  
Arabicis scriptoribus attulit. Greca, ex Theophrasto, Dioscor.  
Galeo & Lexicographis. Italica ex Mathiolo, Amato, Anguil-  
lara, &c. Rhetica, hoc est, Rhetorum in Apibus, ab amicis pas-  
sim. Gallica, ex Ruellio & sua ipsius obseruatione. Hispanica, ex  
Amato, Mathiolo & quodā alio libro. Germanica, partim ex suo  
ante annos forte viginti edito, partim ex Fuchso & Trago, &c.  
Belgica ex Dodoneo. Anglicæ, ex Turnero et Eliotæ dictionario.  
Illyrica, Bohemica & Polonica ex diuersis quoq; scriptoribus.

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

Barbara diuersa, vetera quidem ex additis Dioscoridi nomen  
elaturis; recentiora verò vt Turcica, ex noui orbis descriptione.  
Hæc ita in plurimis, cum in omnibus fieri nequaquam posset, ob-  
seruauit. Secundum caput, seu B. literam descriptionibus, qua  
à sexu, folijs, radicibus, fructibus, seminibus & similibus su-  
muntur, dicauerat, ex quibus veterum præponendas censuit,  
Dioscoridis, Theophrasti, Pliniij & aliorum, post has verò suum  
& aliorum iudicium additurus. Tertium caput, sive C. de tem-  
pore quo vel emittunt florem, futurum erat, quemadmodum He-  
liotropium, Theophrasto, solsticio tantum floret: vel germinant  
aut fructum ferunt; aut quibus in locis vberius naturæ quadam  
proprietate proueniunt, vt cucumeres & cucurbitæ aquas ita ap-  
petunt, vt si in vasculo ijs è proximo subiiciatur, paucorū dierum  
spacio adrepentes, cognoscuntur descendisse, eadem verò exicata,  
reuersæ, decuruantur. Quarto loco, sub D. litera, Sympathias &  
antipathias herbarum, cum quas inter se mutuò, cum cum alijs  
rebus diuersis habent, explicandas censuit. Eius rei exemplo sunt,  
eadem cucurbitæ, quæ vt aqua mirum in modum delectantur, ita  
oleum tam infense oderunt, vt si illis loco aquæ apponatur, in con-  
trariam omnino partem vergant, aut si minus possint, se se con-  
torqueant. Quinto deinde capite, hoc est C. E. litera, plantarum  
cultura, sive quæ ad rem rusticam & hortensem spectant, expli-  
canda erunt. Ut cum in quarundam plantatione aut insitione  
Lunæ motus spectandus est, quemadmodum nonnullæ herbæ aut  
arbores sunt, quæ si Luna in terreis signis versante plantentur,  
subterraneas partes vegetiores acquirant. In aëreis contrà, am-  
pliores ramos diffundent, ac fructuum & foliorum luxuriabunt  
vbertate, nisi Luna fuerit impedita. Sexto capite vel F. litera,  
de ea stirpium utilitate agendum arbitratus fuit, quam corpo-  
ri ut alimenta, præbent: ac primum simpliciter, quæ in cibum  
admittantur aut nō: deinde quoq; medicè quām id salubriter aut  
commodè fiat, & quale hoc alimentum tenuēne an crassum sit.  
Tum etiam nonnihil de apparatu, parim ex antiquis, & ijs qui  
hodie

STIRPIVM HIST. POLLICITATIO. 47.

bodie extant, partim verò ex sua & aliorum doctorum diligentie curiosa obseruatione. Septimum caput, quod G. litera significatur, simplicium medicamentorum remedia & facultates continentib[us] ex libro veterum, recentiorum, manuscriptis plurimis, proprijs & amicorum experimentis congestum, temperamenta quoque & facultates secundas, tertias & quartas comprehensio[n]es. Hoc capite multa commemorabuntur mirabilia & naturae secreta, eritque omnium & copiosissimum & amplissimum. Ultimo capite, sub H. litera, Philologia locum obtinuisse. Et ad hoc quidem caput, quicquid ad Grammaticam, linguas diuersas, proverbia, similia, apologos, Poëtarum dicta, deniq[ue] ad verba magis quam ad res, pertinere videbitur, conisciendum erat.

In horum omnium tractatione & explicatione, et si variae admodum & diuersae sint doctorum virorum qui hanc Physiologie exornarunt partem, sententiæ, proindeque multæ, magnæ contentiones; hoc sibi propositum Gesnerus noster in illo tam controuerso opere habebat: neminem à quo dissenseret recentiorum acerbius adoriri, ne ad conuitia & contentiones illos aduersum se se excita ret. Quin potius si ab aliquibus dissenseret, cogitauerat, non veribus, non conuitijs, non calumnijs, ut solent ἀπὸ πωλιδες Euripi dis, sed rebus ipsis & quibus posset argumentis veritatem proponere. Placent mihi ( aiebat ) Græci, qui pugnam inchoauiriz ισταντην, ut inquit Homerus: νο̄ placent Troiani, qui κλαυθην̄, κνοτην̄, ad pugnam prouerbant.

Et quanquam illi haec in vniuersum methodus, hoc tempore, ad operis huius perfectionem admodum probata esset, ob eas nimis rum quas paulo ante enumeraui causas, tamen quoniam vniuersi annis labor non erat futurus, aliaq[ue] tempora, alia atq[ue] alia consilia dare, non nesciret: liberum mihi fecit, adhibito amicorum & deorum virorum iudicio, eandem pro temporis, aliarumq[ue] circumstantiarum ratione, immutare, & consilio ex praesentis temporis constitutione, quod, ut inquit poëta, rerum omnium est primum, capto, optimam doctisque imprimis probatam methodū sequerer.

CASP. VVOLPHII DE GESNERI

Ethac quidem sunt ferè omnia, que de stirpium historia doctissimus Gesnerus ante eius obitum, mihi communicavit: queb<sup>et</sup> ego & tibi, optime Crato, & ceteris doctis rei<sup>q</sup> herbarie peritus communia esse volui. Imprimis verò apud omnes conset, non sufficiendam ipse congesserat, verum etiam, Ei d'iu<sup>u</sup> aperai telescopi<sup>u</sup>, qd<sup>q</sup> ei telescopi<sup>u</sup> v<sup>er</sup> e<sup>s</sup>ci, vt inquit ad Iunonem Venus apud Homerum, primo quoque tempore eius editionem moliri. Atque utinam paucorum dierum effet opus, n<sup>e</sup> ego vt diutius desiderantur, haud committerem. Verum enimuero, cum & ipsa futuri operis magnitudo atque moles, & figurarum multitudo & varietas, & ipsum denique argumentum per se, non leuem difficultatem faciant: sicut præterea alieno in opere, labor, qui laudem mereatur difficillimus, non dubium est, quin his de causis citia eius diuulgatio, impediatur. Difficultatem verò eriam auget mea ipsius tenitas. Cum etenim neque ingenuo aut doctrina, neque rerum vsu egregiè sim instructus, verendum mihi est, ne qua opimus Gesnerus tot noctium vigilijs, dierumq<sup>z</sup> sudoribus nobis peperisset, ego parum docte in publicum promere pergam. Quem enim artificem, hoc opus requirat, non ignoro, eoq<sup>z</sup> magis intelligo, quo saepius retustissima Orphæi poëtæ carmina in memoriam reuo<sup>co</sup>, qui inquit:

Φῶτα ἡ δίζηται ταλανέρδιον: δέ κεν ἐκάστε  
Εμμεμαὼς πειρῶθε, μδροινύστε τέ κάμοιτε,

Ος τε διδάσκωται, καὶ δέ εἰδότας ἐξερεῖνοι.

At verò cum intelligam in hunc usum Dei opt. max. volumate ad me hæc bona tanquā ex fonte quodā deducta, & ipsi quoq<sup>z</sup> Gesnero sic fuisse usum, vt ea mihi relinquaret, nimirum vt eadem benignè ac fideliter in alios quoq<sup>z</sup> scientiæ cupidos corriuarem, nec quod quidā inauspicati facere assolēt, dum si quid illi paulò acutiori studio comparatum habent, protinus in arcana sua secretioraq<sup>z</sup> intrudunt, posteritati inuidenter. Parabo, bonis autibus, hoc opus (φιλεῖ ἂ, inquit Aeschylus, τε<sup>z</sup> κάπυοντι οὐανένδεις δέος,) si non

STIRPIVM HIST. POLLICITATIO. 48

sinō quale vellem, at quale potero, pro animi & ingenij facultati-  
bus, non pro dignitate rei. Quod si rāta mihi esset facultas, quanta  
est promptitudo & desiderium, bonam vel potius certam in spem  
venirem, plurimum me præstirum. At malo facultatem à do-  
nis in re tanti momenti desiderari quām voluntatem, & audacē  
me potius quām inuidum existiment. Audacia siquidem in re non  
mala, & ab animo bono profecta, leuis quādam culpa dici potest,  
in virtute tamen non est: cum inuidia sit deterrimum vitium, &  
omnes inuidum uno ore oderint, audacem verò multi excusent,  
accuset nemo. Igitur pulcherrimam illam viridantis & fruticar-  
is naturae partem à clarissimo Gesnero nostro ceptam, & longo  
satis tempore, multisque vigilijs & laboribus congestam mibi  
relictam, excolere atque perficere conabor. Sed ita, ut his nihil,  
aut si aliqua erunt, non nisi cum præfatione, sim additus, sola  
Gesneri sententia, ut ut ab ipso scriptam inueniero, contentus.  
Nec definiam quantum quidem omnibus ingenij neruis conten-  
dere potero, donec ad finem ac quasi portum, omnis naturae do-  
mino fortunante, peruenero. Si quid desiderabitur, minimè mi-  
rum ei fuerit, qui quas difficultates habeat hæc res coniunctas,  
non ignorauerit: ἀρνεῖ δὲ μεγάλοις τὸ θέλημα μόνον. Et  
omnibus bonis in rebus, conatus in laude est, effectus verò in  
casu.

Vnum hoc restat, à te, ornatissime Crato, cæterisq; doctissimis  
amicis & familiaribus nostri Gesneri, exorandum, ut, quam ille  
mihi de vobis spem fecerat, quamque mili ipsi de vobis sum pol-  
licitus, eam pro vœstra facilitare, confirmetis: ita fiet, non dubito,  
ut posthumum hoc opus, Gesnerum parentem agnoscat, doctis que  
omnibus & rei herbariae peritis probetur, & laudem mereatur.  
Quod ut faciatis, consilioque me (quando excellentem prudentiam  
restram fugit nihil) iuuetis, & opus conficiendum mecum susci-  
piatis, maiorem in modum à vobis peto atque contendeo. Et hoc  
quidem peto diligentius, quām si res mea esset, quo est honestius.

86 CASP. VVOLPHII DE GESNERI

de amicorum velitate laborare, quam de sua. Et hæc quidem habui, quæ de tam laborioso & immenso stirpium opere pollicerer: cui ve quam primum in studiorum gratiam satisfacere possum, meque promisso fideliter & citè exoluam, Deum optimum maximum obnoxie orabo, atq; ut alij idem precibus apud Deum contendant, etiam atque etiam rogo.

Sed te quoque humanissime Crato, maiorem in modum rogatum velim, primò, hanc meam de C. Gesneri mei præceptoris, cuique coniunctissimi stirpium historia, Pollicitationem, optimo certè & eo omnino, quo dixi, animo institutam, tibique (quamvis nimium fortè confidenter) inscriptam, & qui bonique consulas. Deinde, quanquam mihi non est dubium, quin cum antehac erga omnes, nunc iam etiam, tua constantiae gratia, mansurus sis in eternum erga me quoque humanitate & benevolentia: et men abs te vehemente peto, ut quam multis ostendisti benevolentiam, mihi quoque communem esse velis, meq; si ullam in mea amicitia spem habes, in tuorum numerum recipias. Ego omne meum studium, omniaque officia, & si quibus alijs rebus honestè vel commode vel usui esse possum, tibi vicissim summa cum obseruantia offero atque polliceor. Cura ut valeas. Tiguri Heluetiorum, pridie Idus Martij.

Anno salutis 1566.

FIGVRÆ

FIGVRAE STIR-  
PIVM.

*Terebinthus cum floribus & folliculo  
in quo culices latent.*




FIGVRÆ STIRPIVM

Lachryma Iob. à D. Kentmanno Geſne-  
ro communicata.



Cuminum

*Cuminum sylvestre.*



N 2

FIGVR AE STIRPIVM.

*Cassia Monspelijs dicta: cuius radice sicut  
tur aliqui pro lignea.*



*Ornithos*

*Ornithogalon maius & minus: minoris  
autem radix hic seorsim  
pingitur.*



F I G U R A E S T I R P I V M.

*Absinthium santonicum, marinum quibusdam.*

<sup>†</sup> *Herba seminis sancti à Calceolario Pharmaco-*


*poeo Veronensi missa. A Semen sanctum.*

\* *Santonici species maiuscula et longius-*

*sculis foliolis.*



*Cyclaminus manoppis à D. Kent-*  
*manno missa.*



Emendanda in carminibus.

- Pag. 32. fac. 2. linea 4. adsist tu, lege, adsistunt.
- Pag. 33. fac. 1. linea 29 uinctis, lege, uincis.
- Pag. 35. fac. 1 linea 14 loquitur, lege, loquetur.
- Pag. 36. fac. 1 linea 26 lectum, lege, lethum.
- Pag. 37. fac. 2 linea 5 Aonia, lege, Aonio.
- Pag. 38. fac. 1 linea 26 dirupére, lege, diripuere.
- Pag. 38. fac. 2 linea 11 trepido, lege, tepido.

A 63162

22. MVI. LIT. SALVAT.

Amor. Quod diligere vobis  
Amen.



et dicitur ei ab his illis.

Et dicitur ei ab his illis.  
Et dicitur ei ab his illis.  
Et dicitur ei ab his illis.  
Et dicitur ei ab his illis.  
Et dicitur ei ab his illis.  
Et dicitur ei ab his illis.